O. u. H. G.
111

KUNSTBUCHBINDER
ERNST SCHULTZE
DÜSSELDORF

BUCHBINDER
T SCHULTZ
SELDORF

COMP

PRIVI
RU

E

GRATI

SOCIETA

SANCTA SEDE

concess

Societatis
anno

Cum Privileg

PRAGÆ, Typis Un
sio-Ferdinandeæ in Coll
JESU ad Sanctum C
Anno. M. DCC

COMPENDIUM PRIVILEGIORUM, ET GRATIARUM SOCIETATI JESU

à

SANCTA SEDE APOSTOLICA
conceſſarum.

Societatis Jesu Essendia
anno 1709

Cum Privilegio.

PRAGÆ, Typis Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Societatis JESU ad Sanctum Clementem
Anno. M. DCC. III.

O.u. H.G. 111

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

1402 83501

PRÆFATIO.

CUm Societas Noſtra Dei benignitate, ac Summorum Pontificum liberalitate, ſatìs inſtructa & ornata ſit multis ac magnis gratiis & facultatibus, tam peculiariter ipſi conceſſis, quàm etiam aliis, quarum per Apoſtolicam communicationem ampliſſima acceſſio eidem facta eſt; operæ pretium fore judicavimus, ſi, quæ præcipuæ, noſtróque uſui magìs accommodatæ ſunt, in compendium redigerentur. Quoniam verò juxta litteras Apoſtolicas, nullius privilegii, ſeu gratiæ hactenus conceſſæ, vel in poſterum concedendæ uſus poteſt in Societate licitus eſſe, niſì per ſolius Præpoſiti Generalis communicationem; idcirco ſuis in locis annotatum eſt, quænam gratiæ, quibus, ac quatenus conceſſæ, aut limitatæ, vel etiam reſervatæ ſint. Ubi verò nihil horum adſcriptum fuerit, hoc ipſo conſtare de-

bet, gratias hujuſmodi, ſicut ſonant, conceſſas eſſe. Cæterùm neceſſarium eſt, ut modus gratiis utendi, qui in pleriſque communicationibus præſcriptus eſt, diligentiſſimè ab omnibus obſervetur. Porrò nullis aliis gratiis & privilegiis, quacumque etiam communicatione Societati noſtræ illa competant, quæ in hoc Compendio comprehenſa non ſint, ulli umquam uti licebit. Si tamen illorum uſus alicubi neceſſarius fuerit, is à Præpoſito Generali impetrandus erit: aut ſi periculum in mora eſſet, cenſeatur Provincialibus & Viſitatoribus, eo dumtaxat in caſu, communicatus, dummodo Societatis Inſtituto non repugnet: qui nihilominùs Præpoſitum Generalem de hujuſmodi uſu, ejúſque cauſa, quamprimum poterunt, certiorem reddere tenebuntur: quæ facultas, in ſimili moræ periculo, communicatur etiam Præpoſitis, & Rectoribus localibus: qui pariter jubentur eundem Præpoſitum Generalem, & Provincialem etiam, vel Viſitatorem, de uſurpato Privilegio admone-

monere. Denique nomine Provincialium, Præpoſitorum, & Rectorum, quorum non raro in Compendio fit mentio, ſubintelligendi quoque ſunt Vice-Provinciales, Vice-Præpoſiti, ac Vice-Rectores, quando nimirum nullus eſt Provincialis, Præpoſitus, aut Rector, vel adeo longe abeſt, ut pro rei exigentia conſuli non ſatis commode poſſit: qui omnes etiã nomine Superiorum in hoc Compendio ſignificantur. Nam reliquis Reſidentiarum, & Miſſionũ Superioribus, eorũ Superiores, a quibus vel mittuntur, vel ſub quorũ cura & directione vivunt, eas ex ſibi conceſſis facultates, juxta Conſtitutiones, communicare poterunt, quas pro ratione locorum, temporum, & perſonarum, communicandas judicabunt. De omnibus vero hujus Compendii facultatibus illud in univerſum intelligatur, ut quemadmodum ad Superiores pertinet ſuis ſubditis facultates communicare, vel communicatis, aut conceſſis etiam aliunde, & a quovis, etiam a Præpoſito Generali, vel a Summo Pon-

 tifice,

tiſice, utendi poteſtatem facere; ità eorumdem fore, illarum eis uſum, cùm expedire judicaverint, vel limitare, vel etiam omnino ſuſpendere. Et quoniam in hoc Compendio ſæpenumero fit mentio de Profeſſis, tum Societatis, tum aliorum Ordinũ, advertendum eſt juxta diverſa Societatis privilegia, quidquid de illis dicitur, intelligi etiam debere de Noſtris, qui tria vota ſimplicia poſt biennium emiſerint; niſì fortè aliquid in aliquo loco excipiatur.

Cæterùm hanc novam Compendii editionem jam pridem neceſſariam fecerat Vivæ Vocis Oraculorum Revocatio, edita à Gregorio XV. Bullâ datâ 24. Julij 1622. Incipit: Romanus Pontifex*: eſt 27. in Bull. comm. Quam Urbanus VIII. confirmavit, & extendit ad Oracula, S. R. E. Cardinalium manu firmata, Bullâ datâ 20. Decemb. 1631. Incipit:* Aliàs felicis*: eſt 157. in Bullario communi. Pleraque igitur Privilegia, quæ hujuſmodi Oraculis innitebantur, iis ſubductis, conciderant.*

derant. Sed quoniam non pauca Privilegia in Noſtro Compendio apparebant V.V.O. conceſſa, quæ Litteris Apoſtolicis munita deprehenſa ſunt; aliáque etiam, nullo ſatis certo fundamento indicato, proferebantur: quoad ejus fieri potuit, adlaboratum eſt, ut in nova hac editione:

1. *Conſtet, quæ Privilegia Solo Vivæ Vocis Oraculo nitantur.*

2. *Non deſiderarentur Litterarum Apoſtolicarum citationes exactiſſimæ, quando illarum beneficio obtenta ſunt.*

3. *Ut non Concilii modò Tridentini (quod olim præſtitum) ſed Pontificiarum Conſtitutionum Decreta derogatoria ſuis quæque locis indicarentur.*

4. *Ut prædictorum omnium Documentorum allegationes, referrentur ad maximè notos Libros, quales: Bullarium commune Laërtii Cherubini, Bullarium Regularium Emmanuelis Rodericii, Compendium Minorum Hieronymi à Sorbo, Bullarium Societatis particulare, inſertum Noſtro Inſtituto, cita-*

tis ejus paginis. In horum librorum locum adducuntur Compendia aliarum Religionum, & Tabularium Societatis Romanum, cujus erit nota M. S.

Notum etiam ſit, non omiſſa fuiſſe in hoc Compendio Privilegia revocata, tum ut conceſſionis, & beneficii memoria exſtaret; tum etiam, ut, ſi aliquando ad Jus priſtinum redire licuerit, omnibus conſtare poſſit, quæ fuerint ejuſmodi Privilegia.

Obſervandum præterea, in præſenti Compendio Privilegiorum, dum Bullarium Societatis citatur, numerum paginarum notatum eſſe ſecundùm recentiſſimam editionem Pragenſem.

ABSOLUTIO

§. I.

Facultas abſolvendi quoſcumque ab omnibus; exceptis, quæ in Bulla Cœnæ.

OMnes Confeſſarii Societatis habent facultatem abſolvendi quoſcumque Chriſti fideles, ad eos undecumque accedentes, eorum Confeſſionibus diligenter auditis, à quibuſcumque peccatis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis; & à quibuſcumque ſententiis, cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis, ex illis reſultantibus; iis exceptis, quæ in Bulla Cœnæ Domini continentur. PAULUS III. litteris Apoſtolicis pag. 7. Et Gregorius XIII. vivæ vocis oraculo, facto P. Franciſco Toleto die 2. & iterum 10. Maji 1583. declaravit, poſſe Societatem frui privilegio Paulino, nuper citato, non obſtante epiſtolâ quadam S. Congregationis, approbante Sanctitate ſuâ, Revocatoriâ hujuſmodi facultatis Regularibus conceſſæ, quò ad

ad caſus Epiſcopo reſervatos. Habetur in lib. M. S. V. V. O. pag. 131. Quæ tamen ſublata eſt Decretis S. Congregationis Conc. approbatis à ſumm. Pontificibus Clem. VIII. 1. Jan. 1601. & 26. Nov. 1602. Paulo V. 7. Janu. 1617. Urbano VIII. 17. Novem. 1628. apud Auguſtinum Barboſam de Poteſtate Epiſc: P. 3. Alleg. 50. & à Bulla Clem. X. data 13. Kal. Jul. 1670, Incipit *ſuperna*: eſt 7. in Bull. Comm. §. 6. & 7. in qua §. 6. ſic habetur; *Ex facultatibus per Mare Magnum, aliáve privilegia, Regularibus cujuſcumque Ordinis, Inſtituti, aut Societatis, etiam JEſu, conceſſis, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi in caſibus, ab Epiſcopo ſibi reſervatis &c.* Et §. 7. *Et habentes facultatem abſolvendi ab omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, non ideo à caſibus Epiſcopo reſervatis poſſe abſolvere.* Et Alex: VII. die 24. Sept. 1665. damnavit hanc propoſitionem: *Mendicantes poſſunt abſolvere à caſibus, Epiſcopis reſervatis, non obtentâ ad id Epiſcoporum facultate.*

Hæc facultas, additâ extenſione, de qua fit mentio verbo Confeſſarius. §. 2. *communicatur omnibus Confeſſariis à Superioribus deputatis, & ab Ordinario loci, juxta formam Concilii Tridentini ſeſſ.* 23. *c.* 15. *de Reform. approbatis, præterquam reſpectu excommunicatorum generaliter ab homine, quos Superiores*

res tantùm, & ii, qui ab eis ſpecialem licentiam obtinuerint, poterunt abſolvere: excommunicatos autem nominatim ab homine, & illos regulares, qui licentiam non habuerint, extra ſuum Ordinem confitendi, nè Superiores quidem abſolvent.

Admoneantur autem pœnitentes, abſolutionem à cenſuris, quam à Noſtris obtinuerint, nihil ſibi prodeſſe in foro exteriore.

§. 2.
Facultas quorumlibet audiendi Confeſſiones.

Noſtri Sacerdotes, qui ad Confeſſiones audiendas generaliter idonei viſi fuerint, generaliter quoque, & indiſtinctè abſque aliqua limitatione temporis, certorúmque locorum, aut generis perſonarum, in diœceſi propria ab Epiſcopis admittendi ſunt. Clem. X. in Bulla proximè citata, §. 4.

§. 3.
Etiam Familiarium.

Superiores, & Confeſſores, ad Noſtrorum Confeſſiones audiendas deputati, poſſunt eaſdem excipere ab illis ſecularibus, qui in Noſtris Domibus ſunt verè de familia, & continui commenſales: non tamen illorum, qui tantùm ipſis deſerviunt. Clem. X. *utì ſuprà.*

§. 4.
Hanc facultatem Epiſcopi non poſſunt adimere.

Epiſcopi nullatenus poſſunt, inconſultâ Sede Apoſtolicâ, Confeſſiones audiendi facultatem omnibus ſimul unius Domûs Confeſſoribus adimere. Imò neque particulari alicui, cui ipſemet Epiſcopus, prævio examine, ſimpliciter, & ſinè ulla temporis præfinitione eam facultatem indulſerit: neque iterum eundem ad examen vocare, exceptâ novâ ſuperveniente cauſâ, & ad ipſas Confeſſiones pertinente. Clem. X. *ibid.* §. 5.

§. 5.
In partibus remotiſſimis abſolvere poſſunt etiam â Caſibus Bullâ Cœnæ contentis.

Præpoſitus Generalis poteſt concedere iis, quos miſerit ad Infidelium terras, aliáſque Provincias remotiſſimas, à quibus non poteſt adiri Sedes Apoſtolica, auctoritatem abſolvendi Chriſtianos, ibi commorantes, à caſibus etiam in Bulla Cœnæ contentis. Paulus. III. per Bullam pag. 14. & Clem. VIII. per Bullam, datam 2. Jul. 1604. Incipit: *Dominici Gregis:* eſt 18. in Appendice Bullarii Regularium Emmanuelis Rodericii.

§. 6.

§. 6.

Facultas abſolvendi diripientes bona naufragantium.

Poſſunt Confeſſarii Societatis abſolvere eos, qui bona naufragantium rapuerint, injunctâ eis reſtitutione, ubi & quomodo ea fieri poterit. Greg: XIII. die xviii. Maji, M.D.LXXXIV. in V.V.O.M. S. pag. 133.

§. 7.

Facultas abſolvendi ab hæreſi.

Poteſt Præpoſitus Generalis per ſe, vel per alios, abſolvere quoſcumque ab hæreſi in foro conſcientiæ. Conceſſit Julius III. Vivæ vocis oraculo authenticato, die Aſcenſionis Domini 1551. in M. S. p. 9 & poſtmodum per Breve, ùt in impreſſis. p. 22. Et quoniam conceſſio illa Julii à Pio IV. & V. fuerat limitata ad certas Provincias; Gregor: XIII. die 18. Martii 1584. indulſit V. V. O. ut maneret in ſuo primo vigore, exceptâ Hiſpaniâ; nec intelligeretur revocata per Bullam Cœnæ, quolibet tempore promulgandam. Habetur in V. V. O. M. S. p. 133. Poſtea die 20. Jan. 1585. idem Pontifex V. V. O. conceſſit, ut, ubi Noſtri poſſunt abſolvere ab hæreſi, poſſent etiam abſolvere, ab apoſtaſia à Fide, ùt habetur ibid. pag. 134. Et cùm ex Decreto quodam Sixti V.de-

V. declaratum fuiſſet, Noſtris non competere facultatem abſolvendi manifeſtos hæreticos; Clemens VIII. die 16. Novembris. 1592. declaravit P. N. Claudio, ejuſmodi Decretum intelligendum ſolùm pro Hiſpania & Italia. Habetur ibid. pag. 135. Et quò ad Hiſpaniam quidem, Societas renunciavit cuicumque privilegio, quod haberet, abſolvendi hæreticos, ùt in Decr. 21. Cong. 5. At in Italia Clemens VIII. noluit, quempiam abſolvi poſſe à Noſtris ab hæreſi, & lectione librorum prohibitorum, præter Tranſalpinos. Habetur ibidem.

Communicatur Provincialibus, ſed extra Hiſpaniam, ùt habet privilegium, cum poteſtate, ut re maturè conſiderata, quando ſibi videbitur in Domino expedire, in caſibus particularibus poſſint id aliis communicare.

§. 8.

Facultas abſolvendi à lectione librorum prohibitorum.

Facultatem abſolvendi quoſcumque à lectione librorum prohibitorum in iis locis, ubi poſſumus abſolvere ab hæreſi, conceſſit Gregorius XIII. die VI. Novembris anno Domini 1583. prout in Vivæ vocis ora-

eis oraculis. M. S. pag. 132. & Paul. III. & Jul. III. per Bullas ſuprà citatas §. 5. & 7.

Conceditur omnibus Superioribus, & iis, quibus ipſi communicaverint. Sed ſi libri prohibiti editi ſunt, ad ſtabilienda dogmata hæretica, non poterunt communicare hanc facultatem, niſi in caſibus particularibus, perſpectis circumſtantiis.

In iis verò provinciis, in quibus ex peculiari conceſſione amplior eſſet facultas, liber permittitur illius uſus.

§. 9.

Facultas abſolvendi miſſos ad triremes.

Qui mittuntur ad triremes, poſſunt abſolvi per Noſtros à quibuſcumq; caſibus, ſicut in articulo mortis. Pius IV. in Vivæ vocis oraculis. M. S. pag. 30.

Hæc facultas abſolvendi damnatos ad triremes, omnibus Superioribus communicatur, & iis quibus ipſi commiſerint. Quod autem attinet ad caſus Bullæ Cœnæ, videantur, quæ inferiùs dicuntur in verbo Bulla Cœnæ. *Idque in ſequentibus §§. quoad eoſdem caſus etiam obſervetur.*

§. 10.

Facultas abſolvendi Noſtros ab omnibus.

Ii qui ſub Obedientia & correctione Societatis degunt, poſſunt abſolvi per Præpoſitum Generalem, & alios, quos ipſe depu-

deputaverit, ab omnibus peccatis, ante vel poſt ingreſſum Societatis commiſſis; & ab omnibus Eccleſiaſticis, & ſecularibus ſententiis, cenſuris, & pœnis, à jure, vel ab homine, latis, præterquam ab his quatuor, quæ in Bulla Sixti IV. continentur, nempe relapsus in hæreſim, ſchiſma, litterarum Apoſtolicarum falſificatio, & delatio prohibitorum ad infideles. Habetur per Bullam pro Prædicatoribus datam pridie Kal. Sept. 1474. Incipit: *Regimini univerſalis*: eſt 33. in Bull. Regular. Rodericii in num. 13. & ejuſdem Pontificis pro Carmelitis datam 4. Kal. Decem. 1476. Incipit: *Dum attenta*: eſt 37. ibid. in num. 62. & Julii II. pro iisdem Prædicatoribus dat. 27. Febr. 1510. Incipit: *Exponi Nobis*: eſt 17. ibidem: ubi inter ſuperiùs excepta addit conſpirationem in Romanum Pontificem; quò ad reliquos verò caſus, præter hos quinque, declaravit, non obſtare publicationem Bullæ Cœnæ, & derogationes, in ea contentas. Volentes tamen ingredi Societatem, & abſoluti, ùt præfertur, reincidunt in priſtinas ſententias, niſi mox ingredi, & peractis experientiis ſecundùm Conſtitutiones Societatis, vota emittere parati ſint, etiamſi ſuper hoc induciæ eis à Prælatis Societatis concedantur. Paulus III. in litteris Apoſt. pag. 11. & ſeqq.

Com-

Communicatur hæc facultas Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint; exceptâ hæreſi, & apoſtaſiâ ab Eccleſia, incurſis poſt ingreſſum in Societatem, quæ Præpoſito Generali reſervantur.

§. 11.

Facultas Noſtros abſolvendi ab hæreſi, & relapſu.

Abſolvendi ab hæreſi, & à relapſu etiam in hæreſim, eos omnes, qui ſub Societatis Obedientia vivunt, ſi quis (quod Deus avertat) in eam incideret, etiam in Hiſpania, facultatem conceſſit GREGORIUS XIII. die 18. Martii. 1584. ùt in Vivæ vocis orac. M. S. pag. 133.

§. 12.

Facultas Noſtros abſolvendi ab hæreſi & apoſtaſia.

Facultate conceſsâ Minoribus de Obſervantia Ultramontanis, poſſunt Præpoſitus Generalis, ac Provinciales Societatis Ultramontani, abſolvere Noſtros Ultramontanos ſibi ſubditos; & diſpenſare cum eis, quoties opus fuerit à relapſu in hæreſim, aut apoſtaſiam; & eorum pœnas à jure conſtitutas commutare, augendo vel minuendo, penſatis qualitate, & quantitate,

tate, aliiſque debitis circumſtantiis: dummodo talium relapſorum crimina publica, & notoria apud ſæculares non ſint, ut ex hoc ſcandalum oriri poſſit. Fuit V. V. O. Alex. VI. non authenticatum, ùt refertur in Comp. Privil. Minorum. V. *Abſolutio Ordinaria quò ad Fratres*, n. 18. &c. V. *Hæreſis*, & *Hæreticus* n. 3.

Si quis ex noſtris (quod Deus avertat) indigeret abſolutione, de qua proximo & præcedenti §. *agitur, quando res non eſt dubia, facultas abſolvendi reſervatur Præpoſito Generali. Sed nè pœnitens cogatur tamdiu ſinè abſolutione manere, communicatur Præpoſitis Provincialibus; ità tamen, ut moneatur pœnitens, manere ſub pœna peccati mortalis integram obligationem, vel ſe Præpoſito Generali præſentandi, vel rem eidem manifeſtandi, eo modo, qui ſervatâ ſigilli integritate, Provinciali videbitur.*

§. 13.

Facultas Noſtros abſolvendi, in ſæculo excom̃unicatos ob delationem lignaminum ad infideles.

Præpoſitus Generalis, ac Provinciales, poſſunt abſolvere Noſtros, qui exiſtentes in ſæculo, incurriſſent cenſuram Eccleſiaſticam propter delationem lignaminum, ſeu ferramentorum ad partes infidelium. Id habetur ex conceſſione Alexand. VI. de

qua

qua ſuprà §. 12. n. 19. & à Pio V. pro Benedictinis, per Bullam datam Idibus Junii, 1571. Incipit: *Dum ad Congregationem*: eſt 129. in Bull. communi in n. 1. Pontifex nullum caſum excipit ex reſervatis etiam in Bulla Cœnæ.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi judicaverint.

§. 14.

Facultas abſolvendi Noſtros ab omnibus, etiamſi conſulenda eſſet Sedes Apoſtol.

Per Privilegium Benedictinis conceſſum, ùt in manuſcriptis fol. 38. poſſunt Præpoſiti Domorum ac Rectores abſolvere omnes, qui in Societate propoſuerunt, perpetuum Deo reddere famulatum, à quibuſcumque peccatis, & quacumque ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, etiam ſi talia forent, propter quæ Sedes Apoſtolica eſſet conſulenda; præmiſsâ ex parte eorum ſatisfactione, & impoſitâ eis per eos pœnitentiâ. Hoc fuit Oraculum Eugenii IV. Signaturâ Cardinalis munitum, ùt in Bull. Regul. Roderici, in Bulla 1. Adſtipulantur Pius V. n. 9. in Bulla proximè citata: & Sixtus IV. pro Carmelitis in n. 15. Bullæ ſupracit. §. 10.

Hæc

Hæc facultas communicatur Superioribus in ea nominatis, præterquam in his, quæ excepta fuerunt ſuprà §. 10. 11. *&* 12.

§. 15.

Interdicitur uſus Cruciatæ, Iubilæorum, &c. quoad abſolutionem.

Declarat Summus Pontifex, non eſſe, nec fore unquam mentis ſuæ, aut Sedis Apoſtolicæ, ut perſonæ Societatis, abſque expreſsa Superioris ejuſdem Societatis licentia, utantur facultatibus, quæ in Jubilæis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut aliis quibusvis Apoſtolicis indultis, quæ Communitatibus, aut privatis perſonis, aut piis locis, quomodocumque aliter hucuſque conceſſa ſunt, aut in poſterum concedentur; etiamſi in illis expreſsè indulgeatur, ut omnes Regulares, etiam Mendicantes, ejuſmodi facultatibus uti poſſint. Si quando autem uſus aliquarum ex hujuſmodi facultatibus, perſonis de dicta Societate à Superioribus ejuſdem Societatis concedetur, nulli earum licere nisì intra numerum eorum, qui ad Confeſſiones perſonarum ejuſdem Domûs, aut Collegii audiendas deputati ſunt, Confeſſarium eligere, nisì ratione itineris, aut alia de cauſa, ab eiſdem Superioribus, aliis Confeſſariis, intrà aut extra Societatem, confitendi facultas ad id ſpecialiter daretur: secúſque facta irrita & inania

inania eſſe decernit GREGORIUS XIII. in litteris Apoſtol. pag 46. & ſeqq. Et quo ad uſum Cruciatæ ex Brevi Pauli V. dat. 24: Dec. 1608. & Gregorii XV. 26. Febr. 1622. & Urbani VIII. 31. Martii. 1629. in Bullario comm. eſt 115. & pro omnibus Religioſis ex Bulla Clem. VIII. data 23. Novem. 1599. Incipit : *Romanus Pontifex* : eſt 64. in Bull comm. & Urbani VIII. data 19. Junii. 1630. Incipit: *In ſpecula.* Ubi ex certa ſcientia, & Motu proprio, déque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaravit, conceſſionem Cruciatæ, quantùm ad prædictum articulum eligendi Confeſſarium, cum Regularibus quorumcumque Ordinum locum minimè habuiſſe, nec habere; neque illis ullo modo ſuffragari potuiſſe, neque poſſe. Ablatâ deinde facultate Nunciis Apoſtolicis, ac Cruciatæ Commiſſariis, aliter interpretandi; & declarat, Confeſſiones antea factas validas non fuiſſe, nec potuiſſe fieri; & pariter declaravit, inutiles fuiſſe, & falſos prætextus omnes, quibus aliqui prætendebant, ante declarationem novi Pontificis, limitantis ſuam intentionem, verba Cruciatæ generaliter intelligi de omnibus Religioſis.

Superiores poterunt licentiam Noſtris concedere, ad uſum prædictarum facultatum, quoad caſus reſervatos & reliqua, ſi quando vide-

videbuntur concedenda; & quod ad indulgentias attinet, vide infrà verbo Indulgentia *ad finem.*

Qualiter Superiores poſſint per ſeipſos abſolvere Clericos & Laicos ſibi ſubditos, etiam ex vi Concilii Tridentini, vide infrà verbo Prælati. §. 3.

Quoad modum abſolvendi ab excommunicatione in foro conſcientiæ, vide infrà in verbo Excommunicatio. §. 2. *& quòd facultates hoc verbo contentæ, quæ Bullæ Cœnæ repugnant, hodie perſeverent, vide verbo* Bulla Cœnæ. §. 2.

ÆDIFICIA.

§. 1.

Facultas ædificandi, & recipiendi Collegia, &c.

CONCEDITUR Societati facultas ædificandi, & recipiendi, Collegia, Domos, Eccleſias, & Oratoria in quibuscunque mundi partibus; & inhibetur ac mandatur omnibus & ſingulis Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Eccleſiarum Prælatis, & locorum Ordinariis, ac quibuſvis aliis Poteſtatibus Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, nè nos,

nos, aut noſtras Domos, Eccleſias, aut Collegia ædificare volentes, quoquo modo in hujuſmodi conſtructionibus impediant, perturbent, aut moleſtent. Paulus III. pag. 13.

§. 2.

Idem conceſſit Pius IV. etiam intrà 140. cannas.

Privilegium præcedenti §. contentum confirmavit, & de novo conceſſit Pius IV. etiam intrà centum quadraginta cannas, à Conventibus aliarum Religionum, etiam Mendicatium, & non obſtantibus earum privilegiis. Ac etiam mandavit Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis in dignitate conſtitutis, ut per ſe, vel alium, ſeu alios, quoties pro parte alicujus de Societate fuerint requiſiti, privilegii hujuſmodi litteras ſolemniter publicantes, faciant Noſtros contentis in eiſdem gaudere: non permittentes eos ſuper his, aut eorum aliquem, per quorumvis Ordinum Religioſos, aut alias perſonas, etiamſi Pontificali, ſeu Regali auctoritate fungantur, quovis quæſito colore, quomodolibet moleſtari. pag. 24. & ſeqq.

Quamvis privilegia his duobus §§. contenta, per Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. cap. 3. de Regul. limitata fuerint, priſtinam nihilomi-

lominùs vim obtinent, per privilegium à Gregorio XIII. conceſſum poſt idem Concilium, ùt §. ſequenti habetur.

§. 3.

Privilegia aliorum Ordinum de non ædificando intrà cannas, revocantur quoad Societatem.

Gregorius XIII. privilegia aliorū Ordinum ſuper non ædificatione intrà cannas, quoad Societatem tantùm, Motu proprio ſuſpendit, revocavit, & invalidavit; ac ſilentium perpetuum impoſuit quibuſvis contra præſentis privilegii tenorem venientibus, vigore cujuſvis confirmationis, aut novæ conceſſionis dictarum cannarum, quomodolibet, & pari Motu, etiam conſiſtorialiter, ac quibuſvis derogationibus ſpecificatis obtentarum, & in futurum obtinendarum. Inſuper conceſſit Societatis Presbyteris, & ipſi Societati, ut quaſcumque Domos, Collegia, Eccleſias, & alia ædificia erigere, ac per eos ubivis locorum erecta inhabitare; ac quæcumque loca, Domos, Eccleſias, Oratoria, & alia cujuſcumque ſtructuræ ædificia, ipſis quomodolibet relicta, vel oblata recipere, acceptare, emere, poſſidere, & retinere: ac in eis omnes & ſingulas functiones & miniſteria Societatis exercere liberè & licitè poſſint. pag. 52. Ubi etiam privilegia ſupe-

ſuperioribus §§. contenta confirmat; mandátque præterea, nè à locorum Ordinariis, aut aliis quibuſvis, circa præmiſſa impediantur. pag. 53. Sed videnda Conſtitutio Urbani VIII. revocativa ex parte horum Privilegiorum; eſt 27. in Bull. comm.

Domus & Collegia non poſſunt erigi ſinè ſpeciali facultate Præpoſiti Generalis; ad quem etiam referenda res erit, antequam intrà præfatum cannarum ſpatium à Conventibus aliarum Religionum ædificium erigatur. Quòd ſi aliquando periculum eſſet in mora, poſſunt Provinciales, adhibito ſuorum Conſultorum Conſilio, poteſtatem facere Noſtris ædificandi, & habitandi intrà cannas. De uſu tamen hujus facultatis, & cauſis, propter quas opus fuerit eâ uti, ad Præpoſitum Generalem, cùm primùm commodè poterunt, referant.

ALIENATIO.

§. I.

Facultas alienandi Domos, & Collegia, Generali conceditur.

PEr litteras Apoſtolicas Julii III. pag. 28. & ſeqq. poteſt Præpoſitus Generalis ſimul cum Congregatione Generali

rali alienare Domos vel Collegia. Nec circa hoc quidquam in oppoſitum definit Bulla Pii V. pag. 33. ſiquidem de aliis agit contractibus.

§. 2.

Facultas alienandi ſtabilia, & mobilia pretioſa, Generali conceditur.

Poteſt Præpoſitus Generalis Societatis pro tempore exiſtens, vel ipſa Societas, dum erit generaliter congregata, per ſe vel alios informatione extrajudicialiter, ac ſummariè & ſimpliciter acceptâ, vel etiam eâ omnino omiſsâ, bona Domorum, etiam Probationis, Collegiorum, & aliorum locorum ejuſdem Societatis ſtabilia, & etiam mobilia pretioſa, præſentia & futura, pro illorum utilitate, ſeu neceſſitate, quibuscumque perſonis, tam Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus, cujuſcumque gradûs, ordinis, & dignitatis exiſtentibus, etiam Collegiis, Communitatibus, & Univerſitatibus, ad eam rationem, quæ, faciliùs inveniri poteſt, & pro pretio reperibili vendere, alienare, permutare, in emphyteuſim, ſeu livellum, ad tres generationes, vel in aliud longum tempus dare, locare, etiam cum donationis ſeu inveſtituræ receptione, ac repræſentata pecunia, ſinè tamen diminutione ſoliti illorum reditûs. necnon generaliter & ſpecialiter obligare, & hypothe-

pothecare, ſuper illis cenſus quoſcumque redimibiles imponere, & vendere: necnon de bonis eiſdem compromittere, & quomodolibet ſuper illis tranſigere; illíſque ſimpliciter, vel liti deſuper habitæ, & actionem etiam in non poſſeſſorem, cedere, & renunciare, utilitatémque venditionum, & aliorum hujuſmodi, vel etiam neceſſitatem, aut aliam cauſam propter quam fiant, ſimpliciter, & abſque figura judicii cognoſcere, judicare, definire, & penitùs terminare liberè & licitè. GREGORIUS XIII. in litteris Apoſtolicis pag. 69. & ſeq. ubi aliam extendit facultatem, de qua pag. 55.

§. 3.

Solæ ſufficiunt patentes Generalis pro venditionibus, &c.

Contrahentes, habitâ Præpoſiti Generalis, vel Congregatæ Societatis, per litteras patentes, more ipſius Societatis, vel aliàs, confirmatione, aut conſenſu, ſolo contractu ſecuri exiſtunt: nec tenentur demonſtrare utilitatem, ſeu neceſſitatem venditionum, commutationum, & aliarum alienationum, de quibus §. præcedenti: nec itèm tenentur pretium in æquivalentia vel meliora bona converſum, nec aliquid aliud demonſtrare. Ibidem pag. 69.

§. 4.

Contractus initi, & ineundi, valent confirmatione Generalis, &c.

Quicumque contractus ſuper prædictis initi uſque ad hujus conceſſionis tempus, perpetuò valent: partéſque ipſæ ad illorum obſervationem omnino obligantur: & tam ipſi hactenus initi contractus, quàm ineundi in futurum, quibus Generalis Præpoſiti pro tempore exiſtentis, vel etiam Congregatæ Societatis, conſenſus ſeu confirmatio acceſſerit, aliâ Sedis Apoſtolicæ confirmatione, & approbatione non indigent. Ibidem.

Informationes autem ad Præpoſitum Generalem mittendæ, ut licentiam alienandi concedat, fiant juxta Inſtructionem ad Provinciales menſe Auguſto M. D. LXXX. transmiſſam.

Poſſe alienare mobilia non pretioſa, conceditur omnibus Superioribus, auditis Conſultoribus. Pretioſa etiam quæ centum; Provincialibus verò quæ ducentorum ducatorum valorem non excedant, in utilitatem tamen Domorum, ſeu Collegiorum. Quæ verò ad Eccleſias pertinent, quamvis minoris pretii ſint, non niſi in Eccleſiæ ornamenta pretium impendere poſſint.

§. 5.

Facultas vendendi, alienandi, &c. non obſtante ultimâ teſtatorum voluntate.

Poſſunt Præpoſitus Generalis, ac Provinciales, pro emergentibus neceſſitatibus, & evidentibus utilitatibus Domorum, Collegiorum, & locorum Societatis, vendere, alienare, ac permutare quælibet bona immobilia, ac etiam ultra triennium locare, ultimis teſtatorum voluntatibus non obſtantibus, dummodo id in prædictorum utilitatem cedere dignoſcatur, habitâ diligenti informatione, à duobus, aut tribus bonis viris, locorum in quibus bona conſiſtunt: ſuper quo non modò eorum, ſed Præpoſiti Generalis, ac Provincialium prudentia requiritur, & conſcientia oneratur. Conceſſit Leo X. Minoribus, Litteris Apoſtolicis, dat. 27. Nov. 1519. Incip. *Cùm ſæpenumero*: ùt in Bull. Regularium inter Bullas hujus Pontif. 26.

Facultas hæc ſoli Præpoſito Generali reſervatur, nec niſi rariſſimè eâ utetur. In illius autem uſu, non ſolùm mittatur ad Præpoſitum Generalem informatio, de qua in hac ipſa facultate fit mentio, ſed ſervetur etiã Inſtructio, de qua proximè præcedenti §.4. *dictum fuit. Habeatur etiam ratio Decretorum Apoſtolicorum Urbani VIII. dat. 7. Sept.*

 1624.

1624. & 1. *Martii* 1626. *apud Barboſam in Collectaneis. Coll.* 19. *V.* Alienatio.

ALTARE.

Uſus Altaris portatilis.

NOn obſtante deciſione Concilii T identini ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ, poſſunt Noſtri Presbyteri in Miſſionibus, quæ a Superiore fiunt, ſervatâ aliàs formâ conceſſionis PAULI III. pag. 42. (videlicet cum debita reverentia & honore) Sacrificium Miſſæ ſuper Altari viatico celebare ubique gentium, etiam in caſtris militum, modò loca, etſi communia & profana, tuta & honeſta ſint, & Præpoſitus Generalis, aut per eum Provinciales Præpoſiti, eo tum utendum fore judicaverint. Poteruntque ibi ipſi Presbyteri ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrare fidelibus, ad illud ſumendum debitè præparatis. GREGORIUS XIII. pag. 63. Reliqua vide V. *Miſſa.*

Quomodo poſſint conſecrari altaria Societatis, vide verbo *Eccleſia.* §. 1.

APO-

APOSTATÆ.

§. 1.

Ad ſæculum recedentes ſinè Superioris licentia, excommunicantur, & nequeunt abſolvi.

SI quis poſt emiſſa vota ſecundùm Societatis Conſtitutiones, ab ea ad ſæculum receſſerit, etiam prætextu cujuſvis indulti, conceſſi aut concedendi, abſque expreſſa ſui Superioris licentia, ad id ab eo ſpecialiter obtenta, ipſo facto eſt excommunicatus: & abſolvi nequit, niſi à Romano Pontifice, vel Superiore Societatis. Habetur in litteris à PIO V. editis pag. 31.

§. 2.

Deficientes à Societate ſubjacent pœnis &c. per Gregorium.

Deficientes â Societate poſt tria vota, etſi ſimplicia, elapſo biennio Probationis emiſſa, tamquam veros apoſtatas poſſe puniri; & excommunicationis latæ ſententiæ, ac aliis apoſtatarum pœnis, Sedi Apoſtolicæ, vel Generali Præpoſito Societatis reſervatis, ſubjacere; nec ante abſolu-

ſolutionem, & à Societate dimiſſionem, matrimonium contrahere poſſe, & aliter contractum, nullum, & irritum eſſe; habetur in Conſtitutione GREGORII XIII. pag. 76.

§. 3.

Iiſdem pœnis ſubjacent fautores, &c.

Per Privilegium conceſſum Eremitanis S. Auguſtini, Noſtri ab Ordine recedentes, niſì poſt mandatum cujuſvis Superioris eiſdem factum, intrà octo dies proximos ad Obedientiam redierint, excommunicationis latæ ſententiæ pœnam incurrunt, ſoli Summo Pontifici reſervatam: eidémque ſententiæ ſubjacent omnes, qui iis auxilium, conſilium, vel favorem præſtiterint. Habetur ex Bulla Julii II. data 7. Octob. 1507. Incipit: *Ut Religioni tuæ.* eſt 21. in Bull. Regular.

Conceditur Provincialibus facultas abſolvendi per ſe vel alios, eos qui ſinè licentia diſceſſiſſent, poſtquam redierint.

§. 4.

Noſtros detinentes ipſo facto excommunicantur.

Per Privilegium conceſſum Minoribus ab INNOCENTIO IV. de quo in Monum. fol. 260. pag. 1. conceſſ. 651. & in eorum Comp. verbo *Apoſtatæ*, §. 3. qui retinent

nent Noſtros, ſinè licentia recedentes, ipſo facto ſunt excommunicati. Conſtat ex eodem Compendio hoc haberi per Bullam Authenticatam.

§. 5.

In apoſtatas Societatis poteſt Generalis animadvertere.

Si quis ânimo indurato, poſt emiſſa vota ſive Profeſſorum, ſive Coadjutorum, ſive Scholarium, abſque Superioris licentia exierit, & in ſæculo, vel etiam in alio Regulari loco, degere præſumſerit; licebit Præpoſito Generali, aliiſque Superioribus Societatis, illum tamquam apoſtatam, etiam per auxilii brachii ſæcularis invocationem, ſummariè & ſinè figura judicii, ad Societatem revocare, capere, & incarcerare, ac debitæ pœnitentiæ ſubjicere. Pius V. in lit. Apoſt. pag. 31.

Contra vagantes in ſæculo transfugas omnibus Superioribus conceditur hæc facultas: ſed contra comorantes in aliqua alia Religione, ſolis Provincialibus. Utrique verò circumſpectè, & habita ratione ædificationis, eâ utantur.

§. 6.

Poſſunt capi & incarcerari, etiam in Curia Romana.

Poteſt Præpoſitus Generalis per ſe, vel alios à ſe deputatos, Profeſſos apoſtatas, etiamſi in Romana Curia inveniantur, capere, incarcerare, & aliàs ſuæ diſciplinæ ſubmittere, ex privilegio Carmelitis conceſſo, per Bullam *Sixti* IV. datam 4. Kal. Dec. 1476. Incipit: *Dum accurata*: eſt 37. in Bull. Regul. n. 92.

§. 6.

Poſſunt excommunicari, etiam in Romana Curia.

Præpoſitus Generalis, aliíque inferiores Præpoſiti, per ſe vel per alios, poſſunt ſententiam excommunicationis in Societatis apoſtatas promulgare. Paulus III. pag. 11. Potéſque hoc idem Præpoſitus Generalis per ſe, vel per alios à ſe deputatos, ſi tales apoſtatæ ſint Profeſſi, etiamſi in Romana Curia inveniantur. Ex privilegio Carmelitis conceſſo, ab eodem Potifice, & eâdem Bullâ, proximè citatâ. n. 93.

Facultas hæc conceditur Provincialibus.

§. 8.

Facultas excommunicandi Profeſſos, recedentes à Societate.

Poteſt Præpoſitus Generalis, per communicationem Privilegii conceſſi Miniſtris & Cuſtodibus Minorũ, Profeſſos à Societate diſce-

diſcedentes excommunicare: eóſque ſic excommunicatione notatos tenentur Prælati, ab eodem requiſiti, pro excommucatis publicè denuntiari curare. Conceſſit INNOCENTIUS IV. per Bullam, datam 8. Kal. Maji. Pont. anno 4. Incipit: *Fratrum Minorum*. eſt 10. in Bullario Regularium.

Hæc facultas communicatur Provincialibus, cum ea ratione, de qua in præcedenti §. 5.

§. 9.

De tranſitu ad alios Ordines, præterquam Carthuſienſem.

Nemo poſt emiſſa vota ſecundùm Societatis Conſtitutiones, ſive Profeſſus, ſive Scholaris, ſive Coadjutor ſit, ad alium Ordinem, præterquam Carthuſienſium, niſi de expreſſa licentia ipſius Præpoſiti, aut Sedis Apoſtolicæ, tranſire poteſt. PAULUS. III. in lit. Apoſt. pag. 11. Idem cavetur, nè quis faciat ſinè expreſſa licentia ſui Superioris; & latiùs confirmatur à PIO IV. in litteris per PIUM V. editis, ùt patet pag. 31. & ſeq. propoſitâ pœnâ excommunicationis ipſo facto incurrendæ, Romano Pontifici, vel Superiori Societatis reſervatæ, tam in Religioſos, qui præfatos recipiunt, quàm in ipſos receptos, recedentes, etiam prætextu

cujuſvis indulti conceſſi, aut concedendi, etiam quæſito colore ob frugem melioris vitæ, aut ſtrictioris obſervantiæ, quódque secùs facta non teneant. Statuitur itèm in iiſdem litteris, quòd tranſeuntes ad Carthuſienſes intrà tres menſes, ad alium verò Ordinem infra tempus eis à Superiore ſuo præfigendum, dictos Ordines actualiter ingredi; & ſi in illis permanere nolint, aut non poſſint, abſque ulla mora ad Societatem regredi teneantur, ſub præfata excommunicationis pœna; quam tam ipſi, quàm illos recipientes, vel eis auxilium, conſilium, vel favorem præſtantes, etiam incurrant.

§. 10.

Non licet tranſire ad Carthuſienſes, ſinè licentia Generalis.

Per privilegium conceſſum à Paulo V. Carmelitis diſcalceatis litteris datis 16. Auguſt. 1616. & Urbano VIII. Capuccinis dat. 9. Auguſt. 1628. Incipit: *Injuncti nobis*: eſt 91. in Bull. comm. Nullus è Societate tranſire jam poteſt ad Carthuſianos, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrendæ, nisì obtentâ licentiâ à Præpoſito Generali. Habetur etiã ex Bulla Martini V. Eugenii IV. Pii II. Innocentii VIII. & Gregorii XIII. pro Ordine S. Hieronymi in Hiſpania: quæ afferuntur in

Com-

Compendio Privilegiorum hujus Ordinis V. *Tranſeuntes.* & etiam ex Bulla Benedicti XI. pro Cœleſtinis data 2. Idus Martii, 1304. Incipit: *Religioſam vitam*: eſt 2. Tom. 3. Bull. comm. in Appendice.

Facultatem tranſeundi ad aliam Religionem dare poterit ſolus Præpoſitus Generalis.

§. 11.

Facultas procedendi tamquã in apoſtatas.

Per privilegium Minimorum, ſi poſt licentiam à Præpoſito Generali obtentam ad aliam Religionem tranſeundi, ex ea poſt profeſſionem emiſſam receſſerint, & ad ſæculum redierint, vel ad aliam laxiorem tranſierint, contra ipſos, ùt contra alios apoſtatas, procedere poſſunt Societatis Superiores. Habetur per Bullam Julii II. dat. Kal. Aug. 1506. Incipit: *Virtute conſpicuos*: eſt 26. in Bull. Regul. n. 17.

Hæc facultas conceditur Provincialibus, eâ tamen utantur remoto ſcandalo.

§. 12.

Secundò tranſire ad Carthuſienſes non licet ſinè conſenſu Generalis.

Conceſſit Pius V. vivæ vocis oraculo, ut ſi quis ex noſtra Societate in Carthuſienſium Ordinem tranſire vellet, tres ei menſes præſcriberentur: intrà quos, ſi non in-

grederetur, vel non admitteretur, vel non perſeveraret, redire teneatur, & non ei ampliùs liceret reſpectu Carthuſiæ à Societate, ſinè Præpoſiti ejus conſenſu recedere. Habetur in Vivæ vocis oraculis M. S. fol 43. Idémq; per Breve confirmavit, ac de novo conceſſit GREGORIUS XIII. & quoad præterita etiam valere, ac eos, qui ſecùs fecerint, in excommunicationis, & alias apoſtatarū cenſuras, & pœnas eo ipſo incurrere; à quibus non nisì à Romano Pontifice, vel a Generali Societatis Præpoſito abſolvi poſſe decrevit. Et præſentis gratiæ communicationem omnibus aliis, etiam qui ſua privilegia cum Societate participant, vel participare poterunt, prohibuit. pag. 79.

§. 13.

Profeſſi è Societate egreſſi cauſa, etiam in Romana Curia, ad Papam avocatur.

Facultate Canonicis Sancti Salvatoris, & Eremitis S. Auguſtini conceſsâ, ſi quis Profeſſus è Societate egreſſus, cauſam ſuper ea re in Curia Romana committi obtinuerit, ubi ad inhibendum, aut alia hujuſmodi agendum itum fuerit, cauſa hujuſmodi ad ipſum Summum Pontificem avocatur, omninóque extinguitur. Habetur ex

tur ex Bulla Julii II. datâ 17. Junii. 1508. Incipit: *Etſi ad bene merendum:* & eſt 20. in Bull. Regull. & 18. in Bull. comm.

§. 14.

Profeſſi Societatis ejecti noſtra miniſteria exercere non poſſunt.

Profeſſis apoſtatis, ſive pro ſuis culpis ejectis à Societate, nisi ad alium Ordinem de licentia Præpoſiti Generalis aut Provincialis, ſeu Summi Pontificis tranſierint; inhibitum eſt, nè Confeſſiones audire, docere, ſeu prædicare præſumant. Quod ſi aliud temere attentaverint, poſſunt Generalis & Provinciales excommunicationis ſententiam in illos promulgare. Conceſſit INNOCENTIUS IV. Minoribus, per Bullam datam 6. Id. Sept. anno 4. Incipit: *Juſtis petentium*: eſt 8. in Bull. Regul. Idem iisdem conceſſit Alex. IV. Bullâ, datâ 4. Idus Octobr. anno 1. Incipit *Petentium*: eſt 9. in eodem Bullario. & Minimis Julius II. Bullâ, datâ Kal. Aug. 1506. Incipit: *Virtute conſpicuos*: eſt 26. ibid. in n. 18. & Prædicatoribus Greg. XI. dat. 2. Non. Martii anno 4. Inc: *Virtute conſpicuos.* eſt 7. in Bull. comm. in n. 20. Et quò ad expulſos ſuſpenſiò generalis illis impoſita eſt ab uſu Ordinis ab Urbano VIII. Decreto, dato 21. Sept. 1624. quod legere eſt in Lau-

in Laureto de Franchis inter Decreta Sacræ Congregationis. In qua tamen Conſtitut: Urbani non comprehendi Religioſos Societ: poſt vota ſimplicia dimiſſos Sacra Congr. declaravit die 11. Febr. 1662.

Vide verbo *Profeſſi* §. 2. Et de nullitate matrimonii, ſi quis contrahere attentet, vide verbo *Matrimonium.*

APPELLATIO.

§. 1.

Non licet appellare à correctione Societatis.

NOn licet à correctione Regulæ Societatis ſecundùm Ordinationes ejus factæ, appellare: & appellatio per nullum Judicem admitti poteſt. PAULUS III. pag. 10.

§. 2.

Non licet appellare ab Inſtitutis, &c. etiam ad Pontificem, ſinè licentia ejuſdem.

Privilegio conceſſo Canonicis Sancti Salvatoris, nulli de Societate ab Inſtitutis,

tis, Ordinationibus, correctionibus, & mandatis Congregationis Generalis, aut aliorum Superiorum, ad quemcumque, etiam ad Summum Pontificem & Sedem Apoſtolicam, nisi de ſpeciali Summi Pontificis licentia appellare licet: appellationéſque deſuper pro tempore interpoſitæ, & indè ſecuta irrita habentur. Plures Pontifices per Bullas conceſſerunt Benedictinis S. Juſtinæ. Eugen. IV. Bullâ datâ pridie Kal. Jul. 1436. Incipit: *Regularem vitam*: eſt 9. in Bull. Regul. n. 1. & Greg. XIII. datâ 17. April. 1574. Incipit: *Nihil in unaquaque.* in Bull. comm. in n. 6. & Canonicis S. Salvatoris Julius II. dat. 2. Aprilis, 1512. Incipit: *Inter cæteros*: eſt 30. in Bull. com̃. n. 12. & Olivetanis Idem dat. 4. Junii 1507. Incipit: *Etſi ad univerſos*: eſt 12. ibid. in n. 8. & Camaldulenſibus Leo X. dat. 2. Jul. 1513. Incipit: *Etſi à Summo.* eſt 2. ibid. in. num. 10. Et per privilegium conceſſum Ordini Prædicatorum à Julio II. per Bullam authenticatam, ùt refertur in Comp. Minor. V. Appellare n. 3. & in Summario Privilegiorum Ordinis Prædicatorum, Romæ impreſſo 1670. pag. 84. dat. 18. Mart. 1505. Incipit: *à fide dignis.* Noſtri nequeunt appellare à mandatis, & Ordinationibus Superiorum Societatis. Judices verò diſtrictè prohibiti ſunt, appellationes hujusmodi recipere, aut

illas

illas cognoſcere, ſub pœna excommunicationis; & quicquid ſecùs attentari contigerit, irritum eſt, atque inane. Et per aliud Ciſtercienſibus in Luſitania conceſſum per Bullam à Clem. VIII. & habetur in Libro Privilegiorum ejus Congregationis, Noſtris ſub excommunicatione ipſo facto interdicitur appellare, niſi à Prælatis Ordinariis ad Generalem Præpoſitum, & ab hoc ad Congreg. Generalem: à qua, non niſi in caſu injuriæ, ad ſolam Sedem Apoſtolicam appellare licet.

BENEDICERE.

§. 1.

Præpoſiti & Rectores poſſunt benedicere Eccleſias, & in uſum Societatis tantùm.

PEr facultatem Minorum de Obſervantia, poſſunt omnes Præpoſiti ac Rectores Cœmeteria, & Eccleſias, & Oratoria Societatis, pro ejuſdem Societatis uſu tantùm, ſolemni benedictione benedicere. Conceſſit Leo X. per Bullam, datam 3. Febr. 1514. Incipit: *Religionis honeſtas*: 6. in Bull. Regularium.

Hac

Hac facultate uti poſſunt omnes prædicti, non tamen publicè, nec niſi Ordinarii abeſſent, aut id gravatè facerent.

§. 2.

Generalis poteſt ſacrare & benedicere corporalia, &c.

Poteſt Præpoſitus Generalis ſacrare, & benedicere Corporalia, veſtes, & ea, quæ ſacris uſibus neceſſaria ſunt, ſeu opportuna, pro ipſo Ordine tantùm. Conceſſit Julius II. Generali Eremitarum S. Auguſtini per Bullam 7. Kal. Julii 1507. & eſt 2. hujus Pontificis in Bullario hujus Ordinis. Sed ſinè illa limitatione, ad proprios uſus conceſſum eſt ab Eugenio IV. Abbati Monaſterii S. Spiritûs de Sulmona, per Bullam, dat. 5. Kal. Nov. anno 4. Incipit. *Ad decorem*: eſt 18. in Bullario Regularium. in n. 18. & ab Innocentio VIII. Vicariis, & Viſitatoribus Congregationis Auguſtinianorum. Habetur in Bull. Ordinis ejuſdem, & eſt Conſtitutio 3. hujus Pontificis. Eandē facultatē, quò ad ea, quæ Chriſmate non indigent, conceſſit Paulus III. Prioribus Carthuſianorum per Litteras, conſervatas in eorum Monaſterio Eborenſi: & a Noſtris inſpectæ ſunt. & Greg. XIII. Prælatis SS. Trinitatis Redempt. Captiv. Bullâ, datâ 7. Octobris 1575. Incipit: *Expoſcit*: & eſt 31. in Bull. comm.

§. 3.

§. 3.

Etiam Præpoſiti & Rectores poſſunt.

Per facultatem INNOCENTII VIII. vivæ vocis oraculo conceſſam Abbatibus ac Prioribus, principale regimen habentibus, Congregationis S. Juſtinæ de Padua, quæ habetur in privilegiis impreſſis, fol. 123. poſſunt Præpoſiti Domorum ac Rectores benedicere corporalia, veſtimenta, ceteráque ornamenta Eccleſiæ, & ad cultum divinum pertinentia, & tam ſuæ Eccleſiæ, quàm etiam undecumque delata, & tam à Noſtris quàm ab aliis deferantur. Huic vivæ vocis oraculo adſtipulantur conceſſiones Bullares, allatæ §. proximè ſuperiori.

Videnda tamen Decreta Sac: Congr: Rituum 18. Auguſt. 1629. & 13. Mart. 1632. apud Barboſam in Collect. Bullar. V. Abbas, quibus prædictæ facultates imminutæ ſunt.

Hac facultas cum præcedenti conceditur omnibus in ea comprehenſis, & aliis Superioribus, quibus Provinciales communicandam duxerint. Quo ad benedictionem tamen ad externorum uſum, non niſi neceſſitas urgeat, & Prælati diſtent, & ſinè illorum offenſione.

Vide verbo *Eccleſia.* §. 1. & 2.

BENE-

BENEFACTORES.

Vide verbo *Generalis*. §. 7.

BONA SOCIETATIS.

§. I.

Generalis poteſt admittere Eccleſias, &c. oblatas.

POteſt Præpoſitus Generalis Domos, Eccleſias & Collegia, à quovis conſtructa, ſeu teſtamento mandata, vel quovis modo oblata, cum omnibus ad id neceſſariis, & opportunis, ac locum pro hujuſmodi conſtructione Nobis oblatum recipere. PAULUS. III. pag. 13. & ſeq.

§. 2.

Domus, &c. auctoritate Apoſtolicâ cenſentur erectæ.

Domus, Eccleſiæ, Collegia, Cellæ, & Oratoria ubilibet per Noſtros conſtructa, vel Nobis donata, eo ipſo auctoritate Apoſtolicâ erecta, confirmatáque ſunt ac cenſen-

cenſentur. Paulus III. pag. 13. & ſatis etiam Pius IV. pag. 25. Pariter quæcumque bona, niſi ad prædictæ Sedis collationem pertineant, pro Collegiorum dote, ſeu Scholarium ibi commorantium ſuſtentatione donata, relicta, & legata, eo ipſo prædictâ auctoritate perpetuò applicata, & appropriata ſunt ac cenſentur. Paulus III. dictâ pag. 13.

Solius Congregationis generalis, & Generalis Præpoſiti eſt, acceptare Domos & Collegia; ac bona etiam, quæ obligationem aliquam adjunctam, vel conditionem gravantem habent.

§. 3.

Facultas admittendi Domos & Eccleſias, etiam Parochiales, &c.

Abſque alia Sedis Apoſtolicæ conceſſione poſſumus apprehendere, & capere loca quæcumque, Domos, Eccleſias, etiam Parochiales, & cujuſcumque Ordinis ſint aut conditionis, Societati & ejus perſonis per quoſcumque oblata. Conceſſit Julius II. Congregationi Sancti Salvatoris per litteras ſub plumbo, anno M. D. XII. IV. Nonas Aprilis, ùt in manuſcriptis, pag. 19. Conſulendæ Bullæ ſuprà citatæ. V. Ædificia. §. 3.

Eccleſias, etiam Parochiales, accipiendi facultas conceditur, quoad ædificia tantùm,

non

non quoad reditus, & curam animarum, & ſervatâ limitatione præcedentis §.

§. 4.

Facultas admittendi loca ſæcularia, regularia, &c.

Poteſt Præpoſitus Generalis, per ſe vel per alium ſeu alios, quæcumque loca ſæcularia vel regularia, nec non Eccleſias, Eremitoria & Monaſteria, cujuſvis Ordinis, etiamſi forent ſtrictioris Obſervantiæ (in quibus tamen ea non teneretur) cum earum Bonis omnibus, mobilibus & immobilibus, liberè recipere; ſi piâ largitione fidelium illa ſibi donari contigerit, aut ad id eiſdem Eccleſiis, Eremitoriis, & Monaſteriis præſidentes, ſive in illis degentes perſonæ, ſeu eorum major pars, aut illi quorum intereſt, conſentiant. Ipſáque, etiamſi aliis Eccleſiis, Monaſteriis, ſeu locis ſint unita, in Collegia ſeu Domos erigere atque fundare, & ad Societatis Inſtitutũ & obſervantiam reducere, omnémque alium Ordinem in eis ſupprimere. Hæc conceſſio fuit per Bullam Martini V. quæ reperitur in libro Privilegiorum S. Joannis Evangeliſtæ fol. 53. pag. 1. quæ Cong. in Luſitania floret, & ibi prædictus liber habetur.

§. 5.

Occu-

Occupantes noſtra, poſt triduum excommunicantur.

Quicumque auſus fuerit occupare res quaſcumque, etiam ſi ſit pecunia, quæ ad perſonas Societatis, ſeu Domos aut Collegia pertinent, niſi, à Noſtris monitus, per tridui ſpatium omnia integre reſtituerit, excommunicationis ſententiam incurret, à qua abſolvi, niſi à Sede Apoſtolica, & in mortis articulo, non poteſt. Conceſſum eſt Eremitis S. Auguſtini Julio II. per Bullam, datam 24. Septb. 1508. Incipit: *Nihil eſt, quod ſæpius*: &c. eſt 22. in Bull. Regul. & Leone X. per Bullam, datam 6. Maji. 1514. Habetur in Bullario hujus Ordinis.

Monendi quidem facultas omnibus Superioribus, per ſe vel alios exercenda, communicatur; non tamen curetur, ut ſic moniti, declarentur excommunicati, inconſulto Præpoſito Generali.

§. 6.

Facultas accipiendi bona feudalia & emphyteutica.

Bona feudalia Societati donari poſſunt. Cæleſtinus V. ſuæ Congr. per Bullam, dat. 5. Kal. Oct. anno 1. Incipit. *Etſi cunctos Ordines*. eſt in Bull. comm. in n. 37. Per conceſſionem autem Leonis X. factam Societati Charitatis de Urbe per Bullam,

dat. 5.

dat. 5. Kal. Febr. 1520. Incipit: *Illius, qui Charitas eſt*: quæ eſt 37. in Bull. Com̃. in n. 6. & Sixti V. pro Archiconfraternitate Confalonis B. V. de Urbe, per Bullam, datam Kal. April. 1586. Incipit: *Cùm benigna*: eſt 27. in Bull. comm. in n. 8. & Pii IV. pro Confraternitate S. Rochi per Bullam, datam 18. Octob. 1560. Incipit: *Regimini*: eſt 16. in eodem Bullario in num. 18. Bona feudalia, & emphyteutica, etiam Eccleſiaſtica, Societati noſtræ donari poſſunt, ſeu relinqui, modò ad ea onera teneatur, ad quæ donator ſeu teſtator occaſione hujuſmodi bonorum tenebatur, & quæcumque alia, quæ ipſe donator ſeu teſtator etiam impoſuerit: & ſi ad certum numerum generationum aut nominationum, eadem bona conceſſa fuerant, Societas noſtra non perpetuò, ſed per viginti annos, pro qualibet generatione, ſeu nominatione, hujuſmodi bona tenere poterit. Per privilegium autem conceſſum Congregationi S. Georgii in Alga habetur per Bullam Nicolai V. dat. 1. Aug. 1451. Incipit: *Licèt Inveſtituras*: eſt in Privilegiis hujus Ordinis.

Facultas recipiendi bona feudalia erit penès Præpoſitum Generalem, recipiendi verò emphyteutica abſque conditionibus gravantibus communicatur Provincialibus.

§. 7.

Facultas ſecum transferendi, & ædificia vendendi, præter Eccleſias.

Poſſunt Noſtri, cùm de prioribus locis ſuis ad alia loca ſe transferunt, tam ædificia, ſeu omnem ædificiorum materiam, locorum, quæ dimittunt (dedicatis Eccleſiis dumtaxat exceptis) quàm libros, calices, & paramenta, ſecum ad alia loca transferre: ac ædificia ipſa cum ſolo, & aliis ad eadem loca pertinentibus (præter Eccleſias) vendere, ipſorum pretium in aliorum locorum, ad quæ Noſtri ſe transferunt, ædificationem, ſeu aliàs in eorum utilitatem convertere. Conceſſum Minoribus à Clem. IV. per Bullam, dat. 12. Kal. Aug. 1265. Incipit. *Virtute conſpicuos.* & eſt in Bull. comm. in n. 27. & à Sixto V. per Bullam, datam pridie Kal. Sept. 1474: Incipit: *Regimini univerſalis*: & eſt 14. in Bull. Regul. in n. 35. & ab Alex. IV. per Bullam, dat. 12. Kal. Nov. anno 1. Incipit: *Ex parte veſtra*; eſt 7. in Bull. Regul. & à Gregor. XI. pro Dominicanis, litteris inſertis Bullæ Sixti IV. dat. 10. Maji 1476. Incipiunt: *Regimini univerſalis*: 33. in eodem Bull. in n. 33.

§. 8.

Per conceſſionem Eugenii IV. Ordini S. Hie-

S. Hieronymi in Hiſpania factam 12. Kal. Oct. 1437. Quæcumque Bona mobilia, ſeu immobilia, quæ occaſione Noſtrorum ad aliquam noſtram Domum, vel Collegium quomodolibet pervenerunt, vel pervenire potuerunt, illis ad aliam Religionem tranſeuntibus, in prioribus domiciliis, unde tranſeunt, remanere debent. Habetur in Comp. Privileg. dicti Ordinis, Romæ excuſo. 1551.

Vide verbo *Titulus*, & verbo *Privilegia*. §. 9. & verbo *Simonia*. Et quoad validitatem renuntiationis, & obligationis bonorum, quam Noſtri more Societatis facere ſolent, vide verbo *Concilium*. §. 2.

BULLA COENÆ

§. 1.

Bullæ Cœnæ in Collegio unum publicè habeatur exemplar.

ETsi à Pio V. injunctum fuerit, ut omnes Confeſſarii trāſſumtum Bullæ Cœnæ, per eum decretæ, apud ſe haberent, Noſtri tamen ejuſdem Pontificis conceſſione ab hoc fuerunt exemti: declaravitque, ſatis fore, ſi in ſingulis Collegiis,

vel Domibus, unicum haberetur, quod in eo loco affigeretur, in quo omnes Confeſſarii legere illud poſſent. Habetur in vivæ vocis orac. M. S. fol. 42. in fine, & ſequentibus. Hæc conceſſio facta fuit, petente S. Franciſco Borgia, & munita ſubſcriptione Cardinalis Alexandrini.

§. 2.

Per Bullam Cœnæ Noſtræ facultates non revocantur.

Quòd nullæ Societatis facultates cenſeantur revocatæ per Bullam Cœnæ, quæ in futurum emanabit, conceſſit, Gregor. XIII. die 18. Martii 1584. V. V. O. prout in Vivæ Vocis Oraculis M. S. pag. 133. Idem, ſed cum limitatione temporis ſui Pontificatûs, declarârunt Pius V. 28. Jan. 1570. in V. V. O. M. S. p. 107. Clemens VIII. 15. Aprilis 1599. ibid. in Autographo Card. Bellarmini, id atteſtantis. & PAULUS V. 14. Dec. 1606. ibid. 153.

Sed videndum Decretum Urbani VIII. 17. Nov. 1628. oppoſitum ſtatuentis. Legitur apud Barboſam de Poteſt. Epiſc. Part. 3. Alleg. 50. n. 238.

BUL-

BULLA CRUCIATÆ.

Vide verbo *Abſolutio*. §. 15.

CALIX.

An Noſtri Laici poſſint tangere calices vide verbo *Sacra*. § 1.

CANONICA PORTIO.

Vide verbo *Exemtio*. §. 4.

CASUS RESERVATI.

A quibus reſervatis Noſtri poſſint abſolvere, ſeu abſolvi, vide verbo *Abſolutio*.

CAUSA.

In Noſtris cauſis ſummariè procedendum.

PEr privilegium Abbati, & Conventui Monaſterii San. Pauli extra muros Urbis, Ordinis S. Benedicti conceſſum, quamdiu in Regulari obſervantia permanſerimus, in omnibus Noſtris cauſis, cum qui-

quibusvis perſonis, & ante quoſlibet Judices, ſummariè & de plano, ſinè ſtrepitu & figura judicii, ſolâ facti veritate inſpectâ, procedi debere. NICOLAUS V. confirmãs litteras EUGENII datas Romæ apud S. Petrũ año M.CD.XLVII. III. Kal. Mart. Pontificatûs ſui anno 1. & habetur in regiſtro. lib. 2. de Regul. ſol. 150. refertúrque in manuſcript. fol. 40. pag. 1. & meliùs ac ad longum, fol. 73. pag. 2. Idémque habetur inter privilegia Montis Oliveti, ùt in impreſſis, fol. 47. & ſeq.

CENSURÆ.

An Noſtri à cenſuris abſolvant, & an abſoluti aliquo caſu reincidant, vide verbo *Abſolutio.*

CENSUS.

Vide verbo *Alienatio.* §. 2.

CESSATIO A DIVINIS.

Vide verbo *Interdictum.* §. 5. & ſubſequentibus.

COLLECTÆ.

Vide verbo *Exemtio.* §. 4.

COL-

COLLEGIA.

§. 1.

COllegia Societatis poſſunt habere reditus. Paulus III. pag. 3. & Julius III. pag. 10.

§. 2.

Collegiorum gubernatio eſt penès Generalem.

Omnimoda Collegiorum gubernatio eſt penès Præpoſitum Generalem. Pius V. pag. 33. Collegia poſſe recipi, & ſimul atque conſtructa & dotata fuerint, auctoritate Apoſtolicâ erecta cenſeri; habetur verbo *Bona*. §. 1. & 2.

COMMUNICATIO GRATIARUM, & piorum operum.

§. 1.

Quas gratias communicent Præpoſiti inferiores.

PRæpoſiti inferiores poſſunt de licentia Præpoſiti Generalis, communicare quibuſvis de Societate gratias ſibi

communicatas per Præpoſitum Generalem, vel Provincialem. Julius III. pag. 23. junctâ communicatione Gregorii XIII. de qua inferiùs §. 5.

§. 2.

Omnia privilegia, &c. conceduntur Præpoſito, & omnibus Societatis æquè principaliter.

Omnia privilegia, etiam ſpeciali notâ digna, immunitates, exemtiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentiæ, peccatorum remiſſiones, gratiæ tam ſpirituales quàm temporales, litteræque Apoſtolicæ, etiam juſtitiam, ſive mixtim concernentia, etiam per modum extenſionis, aut communicationis, aut aliàs conceſſa, ſeu concedenda quibuſvis Ordinibus, Fratrum & Sororum Mendicantium, illorúmque Congregationibus, Conventibus, & Capitulis, ac utriuſque ſexûs perſonis, ac illorum Monaſteriis, Domibus, Eccleſiis, Hoſpitalibus, & aliis piis locis, conceduntur Præpoſito, ac omnibus Societatis perſonis, Domibus, ac Collegiis, non ſolùm ad illorum inſtar, ſed pariformiter, & æquè principialiter. Pius V. pag. 37.

§. 3.

Noſtri, Eccleſiæ, &c. gaudent omnibus & ſingulis privilegiis, Mendicantibus, & ali-

& aliis Ordinibus, conceſſis; & concedendis dummodo Profeſſioni noſtræ non repugnent.

Per Privilegium, conceſſum Minoribus à Clem. VII. per Bullam, dat. 30. Maji. 1525. Incipit : *Dum fructus uberes* : eſt 2. in Bull. Regul. Noſtri, Eccleſiæ, ac loca noſtra, gaudent omnibus & ſingulis privilegiis, immunitatibus, exemtionibus, conceſſionibus, indultis, indulgentiis, quibuſvis Congregationibus Ordinum Mendicantium quomodolibet conceſſis & concedendis. Gaudent præterea quibuſvis facultatibus & gratiis, Noſtræ Profeſſioni regularis obſervantiæ non contrariis, aliis Ordinibus quibuſcumque non Mendicantibus, quomodolibet conceſſis & concedendis, in omnibus & per omnia, perinde ac ſi Nobis conceſſa ſpecialiter fuiſſent, & quidem per quoſcumque Romanos Pontifices. Conceſſit Pius V. p. 37. & Ordinibus etiam non Mendicantibus, aliiſque ampliſſimis clauſulis. Greg. XIII. Minoribus per Bullam dat. 21. Mart. 1575. Incipit : *Ex benigna* : eſt 1. in Bull. Regul. & idem Gregor. Ordini SS. Trinitatis per Bullam, datam 18. Novemb. 1575. Incipit : *Regimini* : eſt 29 in Bull. Regul. Quin & quibuſlibet Ordinibus Militaribus; etiamsi eorum ſpecialis, & individua mentio fieri deberet, Gregor. XIV. Ciſtercienſi-

bus per Bullam, dat. 28. Jun. 1591. Incipit: *Romanus Pontifex*: eſt 3. ibidem. Et etiamſi per ſolam ſignaturam, aut vivæ vocis oraculo fuiſſent conceſſa, Greg. XIII. in Bullis proximè citatis. Pariter per facultatem Prædicatorum, Nos, Domus noſtræ, Eccleſiæ, & alia loca, poſſumus frui omnibus privilegiis Mendicantium, & aliorum quorumcumque Ordinum, Congregationum, & Confraternitatum, Fratribus & perſonis, Eccleſiis & Monaſteriis, Domibus & Oratoriis, & aliis piis locis per Julium III. ſuóſque Prædeceſſores conceſſis. Conceſſit Julius III. Ordini Prædicatorum, per Bullam dat. 10. Jul. 1551. Incipit: *In Sacra B. Petri Sede*: & eſt 3. in Bull. Regul. Habetur etiam à Clem. VII. in Bulla ſuprà citata; & à Gregor. XIII. Noſtræ Societati. pag. 45.

§. 4.

Quomodo ſupradictis utendum.

Ut gratiis & privilegiis, de quibus in duobus proximè præcedentibus §§. mentio fit, uti poſſimus, opus eſt, nè Inſtituto Societatis, voluntati ac beneplacito Præpoſiti Generalis, ſeu deputatarum perſonarum refragentur, ut patet ex litteris Pii V. pag. 38.

§. 5.

Omnia privilegia, &c. Generali conceſſa

ceſſa intelliguntur, & ceteris de ejus licentia.

Omnia aliorum privilegia, immunitates, exemtiones, facultates, conceſſiones, indulta, indulgentiæ, remiſſiones, gratiæ & litteræ, Societati conceſſa, de quibus in præcedentibus paragraphis mentio fit, necnon & quæ ipſi Societati nominatim, vel ejus Præpoſito, aut perſonis, ſeu locis hactenus conceſſa ſunt, ſeu in poſterum concedentur; Præpoſito Generali conceſſa intelliguntur, qui illa per ſeipſum, vel alium, ſeu alios, ab eo, vel de ejus commiſſione electos, ſeu eligendos, quibuſcumque perſonis de Societate, ſub ejuſdem Obedientia degentibus, & quæ in ea tria vota conſveta, etiam ſimplicia, emiſerint, communicare liberè poterit. Nec aliter ceteræ perſonæ Societatis prædictis privilegiis, facultatibus, & aliis præmiſſis uti aut gaudere poſſunt: illorúmque uſus juxta Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, & morem eſſe debet. GREGORIUS XIII. pag. 45. & 46. qui poſtea vivæ vocis oraculo conceſſit, ut prædicta communicatio Novitiis etiam fieri poſſit. Habetur in vivæ vocis oraculis M. S. pag. 126. & per Bullam Sixti IV. pro Carmelitanis dat. 6. Kal. Dec. 1477. eſt 37. in Bull. Regularium in n. 84. & Julii II. pro Auguſtinianis dat. 24. Sept. 1508.

eſt 4. hujus Pontificis in eorum Bullario; cujus Originale ſervatur in eorundem Archivio Romano.

Hanc communicationem poterunt concedere Superiores Novitiis, ſicut & cæteris.

§. 6.

Communicatio privilegiorum extenditur etiam ad vivæ vocis oracula.

Communicatio privilegiorum, quam Societas habet cum aliis Mendicantibus, ad ea etiam extenditur, quæ vivæ vocis oraculo ab eis impetrata, aut eis in genere donata ſunt: & quidquid alicui eorum hoc modo, aut quovis alio hactenus conceſſum eſt, aut in poſterum concedetur, id omne Motu proprio, & ex certa ſcientia, Noſtris conceſſum etiam cenſendum eſt. Julius II. Auguſtinianis, per litteras in forma Brevis dat. 30. Jun. 1508. ùt in Bullario Regularium poſt 22. Bullam hujus Pontificis.

§. 7.

Omnium bonorum ſpiritualium Religionum particeps eſt Societas.

Omnium jejuniorum, ac aliorum quorumcumque ſpiritualium bonorum, & piorum operum, quæ in omnibus Religionibus, ac ubicumque in toto orbe pro tempore fiunt, participes ſunt perſonæ Societatis. Conceſſum eſt à Leone X.

Con-

Confraternitati Charitatis de Urbe per Bullam dat. 5. Kal. Febr. 1520. Incipit: *Illius, qui Charitas eſt*: éſtque 37. in Bull. com̃. in n. 5. Vide etiã V. *Generalis.* §. 7.

Sciant Noſtri, per facultates hoc verbo relatas, non poſſe eos, aut loca ulla Societatis, uti quocumque aliorum privilegio, exceptis iis, quæ hoc Compendio continentur, ac juxta modum, quo in eo communicantur: quòd ſi in aliquo particulari caſu aliquo alio privilegio uti oporteat, ſervetur modus in hujus Compendii præfatione præſcriptus.

Vide verbo *Gratiarum uſus*, & verbo *Generalis.* §. 7.

COMMUTATIO.

§. I.

Facultas commutandi omnia vota, exceptis ultramarinis, &c.

Confeſſarii Societatis poſſunt commutare omnia vota, exceptis ultramarinis, & Petri & Pauli de Urbe, S. Jacobi in Compoſtella, Caſtitatis, & Religionis. Paulus III. pag 7. quam facultatem cum

eadem exceptione extendit GREGORIUS XIII. ad vota jurata, dummodo commutatio non fiat in præjudicium tertii. Habetur pag. 47.

Communicatur hæc facultas omnibus Confeſſariis approbatis, eodem modo tamen, quo facultas abſolvendi, quæ habetur ſuprà verbo Abſolutio. §. 1.

§. 2.

Facultas Commutandi votum ſimplex alterius Religionis.

Ii, ad quos pertinet Officium admittendi eos, qui ingredi volunt Societatem, poſſunt commutare votum ſimplex ingrediendi aliam Religionem, etiam determinatam, in vota conſveta Societatis, quando is, cui facienda eſt commutatio, devotionem ad id ſentiret, vel Societas, aut, qui ipſum admittit, vocationem ejus eſſe potiùs ad Societatem noſtram, quàm ad aliam Religionem exiſtimaret. Conceſſum eſt hoc à ſummo Pœnitentiario, habente ad id facultatem, ùt eſt in Vivæ vocis oraculis, pag. 13.

§. 3.

Facultas diſpenſandi in voto ſimplici Religionem ingrediendi, etiam arctiorem.

Omnes Præpoſiti Domorum, ac Rectores, ſeu Viſitatores Societatis, ſinè præ-

prædicta limitatione, de qua in §. præcedenti, poſſunt diſpenſare cum ingredientibus in Societatem in voto Religionis; etiamſi arctiorem Religionem ingredi voviſſent: ſi quis tamen à Societate ante Profeſſionem receſſerit, diſpenſatio nulla erit. Conceſſit hoc EVGENIUS IV. Congregationi Sanctæ Juſtinæ, per Bullam datam 30. Iunii 1436. Incipit: *Etſi quaſlibet*: eſt 11. in Bullario Regular. in n. 8. 9. & Leo X. Camaldulenſibus per Bullam, dat. 4. Non. Iulii 1513. eſt 2. in Bull. comm. in n. 39. & Sixtus IV. Congreg. Lateranenſi per Bullam dat. 10. Kal. Sept. 1476. Incipit: *Dum ad univerſos*: eſt 10. in Bulk communi in n. 29. Per privilegium verò ejusdem EVGENII IV. conceſſum Congregationi S. Georgii in Alga per Breve, datum 10. Kal. Iunii. 1437. quod affertur in Libro Privilegiorum Congr. S. Ioan. Evangeliſtæ in Luſitania fol. 8. pag. 1. poſſunt recipi in Societatem, quicumq; aliquam Religionem intrandi, & ibi permanendi ex quavis cauſa votum fecerint.

Ex quo tamen intelligitur, hanc conceſſionem tum demum locum habere, ſi Societatem intraverint, & in illa perpetuò famulari Altiſſimo promiſerint.

Hac facultate ſoli, & magna cum conſideratione utentur Provinciales, niſi ipſi eam in caſu

caſu aliquo alicui communicarent: & cùm uſi fuerint, admoneant Præpoſitum Generalem.

§. 4.
Facultas commutandi legata, &c. Generali reſervata.

Per facultates conceſſas Prælatis Ordinis Minorum, poſſunt omnes Noſtri Præpoſiti ac Rectores commutare ex uno uſu ad alium neceſſarium legata, quæ relinquuntur Noſtris Collegiis aut Domibus, dummodo id fiat ſinè ſcandalo eorum, ad quos ſolutio talium legatorum pertinet. SIXTUS IV. in Supplem. Min. fol. 95. conceſſ. 317. refertúrque in eorum Comp. verb. *Commutare.* §. 1. quam conceſſionē ampliavit LEO X. in rebus donatis per viventes, ſi tamen, ùt dictum eſt, non ſequatur ſcandalum prædictorum. Habetur in dicto Supplem. fol. 93. pag. 2. conceſſ. 293. & refertur in Comp. ubi ſuprà. §. 2.

De commutatione ultimæ voluntatis in alienationibus, vide verbo *Alienatio.* §. ult.

CONCILIUM Tridentinū.

§. 1.

Decla-

Declarationes Concilii Tridentini circa res & Inſtitutum Societatis,

QUotieſcumque à Societate, vel à Præpoſito Generali, dubia aliqua circa Concilium Tridentinum proponuntur, quæ Inſtitutum, vel res Societatis concernant, mens Pii V. fuit, ut Cardinales ad declarationem ejuſdem Concilii deputati, poſtquam ea declaraverint & determinaverint, reddant publicum teſtimonium declarationis & determinationis factæ. Habetur ex Vivæ vocis oraculo. ùt in M. S. p. 44.

§. 2.

Non obſtante definitione per Concil. Trident. remanet integrum Inſtitutum quoad renuntiationem, &c.

Declaravit Pius V. non obſtare definitionem Concilii Trident. ſeſſ. 25. cap. 16. de Regul. quin licitum ſit Societati, perinde atque ante dictam Synodum licebat, facere quæcumque ad ejus Inſtitutum pertinent, quoad renunciationem, obligationem, Profeſſionémque faciendam finito tempore Novitiatûs. Id fuit Oraculum poſt conſultam S. Congregationem, & teſte Card. Alciato ùt in M. S. pag. 47. & ſeq.

§. 3.

In foro conſcientiæ uti poſſumus omnibus gratiis, etiam derogatis per Concilium.

Poſſumus uti in foro conſcientiæ omnibus gratiis, per Anteceſſores Pii V. Minoribus conceſſis, etiam quoad illas ex eis, quæ ſunt reſtrictæ, ſeu derogatæ per Concilium Trident. prout eiſdem conceſſit idem Pius V. Vivæ vocis orac. die XXIII. Martii, an: M. DL. XVII. ùt in Bull. Regul. inter Oracula ejuſdem Pontificis n. 15. & Conſtitutione ſua pro Mendicantibus dat. 17. Kal. Iulii ejuſdem anni. Incipit: *Etſi Mendicantium Ordines*: eſt 7. in Bull. Regul. ùbi multa privilegia, ſublata per Concilium, Regul. reſtituuntur. Sed hæc Cõſtitutio, aliæque ejuſdem Pontificis in eadem materia, revocatæ ſunt à Greg. XIII. Bullâ 9. in Bull. comm. quæ tamen non facit mentionem de vivæ vocis oraculis, præſertim pro foro conſcientiæ.

Quæ hoc §. dicuntur, intelligantur de privilegiis hoc Compendio contentis, ùt dicitur verbo Communicatio, *in fine; & de occultis ſeu non manifeſtis. Nam pro hujuſmodi tantùm fieri ſolent ſimiles conceſſiones vivæ vocis oraculo.*

CON-

CONFESSARIUS.

§. 1.

Noſtris omnes confiteri poſſunt.

OMnes Chriſti fideles poſſunt confiteri Noſtris, licentiâ ſuorum Rectorum minimè requiſitâ. PAULUS III. p. 13. *Hæc facultas communicatur omnibus Confeſſariis, de quibus ſuprà verbo* Abſolutio. §. 1.

§. 2.

Noſtri concionari, & Confeſſiones ubique audire poſſunt, non repugnantibus Curatis, &c.

Confeſſarii Noſtri, ac Prædicatores, ab aliquo Ordinario ſemel approbati, & à ſuis Superioribus ad hujuſmodi munera deputati, quandocumque, ſive mari, ſive terrâ iter faciunt, poſſunt, non repugnantibus tamen Curatis Parochialium Eccleſiarum, verbum Dei prædicare, & quorumcumque Chriſti fidelium Confeſſiones audire, dummodo id non faciant in oppidis, aut locis, in quibus Ordinarii exiſtunt, niſi eorum licentiâ deſuper obtentâ. GREGORIUS XIII. pag. 46. & ſeq. Super hoc privilegio videndum, quatenus ei obſtet Con-

Conſtitutio Urbani VIII. Incipit: *Cùm ſicut accepimus*: eſt 92. in Bull. comm.

Qui è Noſtris mittentur fructificaturi in aliqua diœceſi, etſi in itinere, poterunt, ſicut & reliqui Societatis Operarii, uti hac facultate, etiam intra eandem diœceſim, ad quam deſtinati ſunt, per eam tamen excurrere non debent, antequam rectà ad Epiſcopum, vel eo abſente, ad ejus Vicarium, tendant, illi ſe offerant, & facultatem fructificandi obtineant: quòd ſi longè abſint, petant per litteras.

§. 3.

Facultas aperiendi litteras Pœnitentiariæ.

Poſſunt Noſtri Sacerdotes deſignati per Præpoſitum Generalem, aut de ejus licentia per alios Superiores Societatis, & à locorum Ordinariis approbandi, etiamſi nullo gradu ſint inſigniti, aperire litteras ſacræ Pœnitentiariæ, deſtinatas Magiſtris in Theologia, vel in Jure Canonico Doctoribus: & auditis Confeſſionibus recurrentium ad ipſos, impoſitâ illis pœnitentiâ, in litteris expreſſâ, vel de jure infligendâ, eos abſolvere, ac in foro conſcientiæ quaſcumque ſibi verbo vel ſcripto commiſſas abſolutiones, diſpenſationes, & pœnitentiarum injunctiones excipere, & exſequi. GREGORIUS XIII. pag. 67.

Ad hanc

Ad hanc facultatem, aperiendi dictas litteras, deſignantur omnes Superiores, aliàs approbati juxta hanc conceſſionem, & omnes alii Confeſſarii, quos ipſi ad id deputaverint.

§. 4.

Noſtri Superiori, aut per eum deſignato confiteri debent.

Quilibet de Societate debet confiteri Præpoſito, vel ab eo ſecundùm Ordinationes Societatis deſignato Confeſſario, niſì ſuper hoc à dicto Præpoſito alium Confeſſariũ eligendi habuerit facultatem. PAULUS III. pag. 11. Et quia huic privilegio videbatur obſtare Decretũ Clem. VIII. die 26. Maji, 1594. relatum in cap. 5. noſtrarum Ordinationum; ùt ibi ſubditur; idem Pontifex V. V. O. diſpenſavit, nè in ſingulis Domibus, præter Confeſſarium Ordinarium, Superiores teneantur deputare duos, vel plures, qui à non reſervatis abſolvant: & Urbanus VIII. litteris in forma Brevis datis. 23. Aug. 1641. quæ ſervantur in Archivio Romano, id confirmavit, ſed adjectâ conditione, ut quolibet anno quinquies, aut ſexies, Confeſſarius extraordinarius offeratur, cui Noſtri indiſtinctè, & cum effectu confiteri teneantur.

§. 5.

§. 5.

Fratres Noſtrorum Confeſſiones audire non poſſunt.

Fratres, quibus per litteras INNOCENTII IV. conceſſã eſt facultas, ut Confeſſiones generaliter audiant, non poſſunt Noſtrorum Confeſſiones audire. Conceſſit INNOCENTIUS IV. Ordini Prædicatorum, per Bullam dat. 7. Kal. April. 1247. Incipit: *Cùm ſupernæ Lucis:* eſt 19. in Bull. Reg. Itèm per alias Bullas diverſis Ordinibus, ùt in Bull. comm. Clementis IV. Bulla 4. §. 24. Sixti IV. Bulla 6. §. 97. & 7. §. 29. itèm Julii 11. 10. §. 28.

§. 6.

Relaxatio juramenti.

Confeſſarii Noſtri, quælibet juramenta, ſinè præjudicio tertii, relaxare poſſunt Noſtris. CLEMENS VII. pro Confratribus Ordinis Carmelitarum per Bullam, dat. prid. Idus Aug. 1530. Incipit: *Ex clementi*; eſt 31. in Bull. comm. in n. 8. LEO X. per Bullam, dat. prid. non. Octob. 1520. Incipit: *Paſtoris æterni*: eſt 2. ibid. in Appendice Tomi 3. in n. 11. Sed hæc limitat ad certas ſolemnitates.

Hæc facultas communicatur Superioribus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi judicaverint communicandam.

§. 7.

§. 6.

Quas indulgentias Noſtri poſſint concedere.

Indulgentias, quas Noſtri Confeſſarii nonnumquam poſſunt concedere, & quibus, vide verbo *Indulgentiæ.* §. 9. 15. & 25. Itèm qualiter ſint nullæ Confeſſiones Noſtrorum, factæ aliis quàm deputatis Confeſſariis, vide ſuprà verbo *Abſolutio.* §. 15. vide etiam verbo *Diſpenſatio.* §. 6.

CONFESSIONALE.

Impetrans confeſſionale, quâ pœnâ plectendus.

QUicumque Noſtrorum Confeſſionale aliquod, abſque expreſsa licentia, impetrare præſumit, eo ipſo impetratis caret, ac per decennium præeminentiâ Societatis, ſi quam habet, ipſo facto privatur: nec ſuper privatione hujuſmodi ab alio ullo, quàm à Romano Pontifice diſpenſari poteſt. CLEMENS VII. Congregationi S. Georgii in Alga, & eſt per Breve, datum 2. Febr. 1524. ut in Privilegi-

vilegiis impreſſis ejus Congregationis p. 116. Vide verbo *Abſolutio* §. 15.

CONFIRMATIO.

Confirmatio Inſtituti, & Privilegiorum.

GREGORIUS XIII. Societatis Inſtitutum, (de quo latiùs p. 3. & ſeq.) Conſtitutiones & Privilegia confirmavit p. 66. GREGORIUS XIV. pag. 97. PAULUS V. p. 104. Vide etiam, quæ notantur infrà verbo *Privilegia.* §. 11. & verbo *Conſtitutiones.*

CONGREGATIONES Externorum.

Vide V. Sodalitas.

CONGREGATIONES Societatis.

§. 1.

Pri-

PRimariæ quædam electiones in Congregatione fiunt. GREGORIUS XIV. in ſua Conſtitut. pag. 97.

§. 2.

In Congregationibus procedatur juxta Conſtitutiones & decreta. Idem p. 97.

CONSERVATOR.

§. 1.

Facultas Conſervatores aſſumendi.

SOcietas, & ſingulæ ejus perſonæ, & familiares Clerici, tam in cauſis civilibus, quàm criminalibus & mixtis, ſive actores ſint, ſive rei, omnes & ſingulos Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, nec non alias perſonas in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutas, Canonicos Metropolitanarum Eccleſiarum, vel Cathedralium, & Vicarios Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum in Spiritualibus, eorúmque Officiales generales, ubilibet conſtitutos, contra quaſcumque Communitates, & Collegia hujuſmodi, in ſuos Conſerva-

tores, & Judices Ordinarios aſſumere poſſunt. Pius v. in Bulla per Gregorium xiii. edita pag. 39.

Circa id, quod hoc §. dicitur quoad familiares, advertatur admonitio, quæ ponitur verbo Familiares. §. 5. *Pro Legitimo uſu Privilegiorum, ſpectantium ad hoc Verbum, conſulendæ Bullæ Gregorii XV. 9. in Bull. comm. cum annexa Declaratione: & Innocentii X. 32. ibid.*

§. 2.

Conſervatores etiam extra loca, in quibus deputantur, habent auctoritatem.

Conſervatores & Judices ſic electi, etiamſi ſunt extra loca, in quibus deputati fuerint, habent poteſtatem, ut tam per ſe, quàm per alios Societatem defendant: nec permittant illam ſuper bonis, & privilegiis, tam Apoſtolicâ, quàm Ordinariâ, & aliâ rite Regiâ auctoritate conceſſis, aliiſque rebus ad ipſam pertinentibus, à quibuſcumque perſonis tam ſecularibus, quàm Eccleſiaſticis indebitè moleſtari, aut gravari. d. pag. 39. & ſeq.

§. 3.

Conſervatores poſſunt procedere per cenſuras, etiam per auxilium brachii ſecularis.

Conſervatores, & Judices ſic electi, cùm

cùm fuerint requiſiti ſuper Noſtrorum bonorum reſtitutione, & privilegiorum obſervatione, poſſunt appellatione poſtpoſitâ per cenſuras Eccleſiaſticas, quoties opus fuerit, uſque ad auxilii brachii ſecularis invocationem procedere. In d. litteris p. 40.

§. 4.

Quando Conſervatoribus tutus non patet acceſſus, per edicta publica præſtare poſſunt ſuum officium.

Quando Iudicibus & Conſervatoribus hujuſmodi tutus non pateret acceſſus ad loca, in quibus morari contingeret eos, qui monendi, inhibendi, atque citandi ſunt; poſſunt hæc per edicta publica efficere, locis publicis ea affigendo, de quibus eſſet veriſimilis conjectura, quòd ad ipſorum monitorum, citatorum, & inhibitorum notitiam valerent pervenire. utì ſuprà pag. 40.

§. 5.

Poſſunt variis pœnis coërcere rebelles.

Poſſunt præterea eiſdem detentoribus, injuriatoribus, contradictoribus, & rebellibus inhibere ſub cenſuris, & pœnis, etiam pecuniariis, ſuo arbitrio moderandis, liberéque ſuam juriſdictionem exercere: non obſtantibus quibuſvis inhibitionibus ſibi

factis, etiam prætextu quarumvis litterarum conſervatoriarum, aut privilegiorum conceſſorum & concedendorum. In d. litteris pag. 40.

§. 6.

Poſſunt interdicere.

Poſſunt item Eccleſiaſtico ſubjicere interdicto loca, ad quæ prædictas perſonas declinare contigerit, & in quibus ſcienter ſtare permiſſæ fuerint. pag. 41.

§. 7.

Inchoata per alium perfici poſſunt.

Quilibet Conſervatorum, & Iudicum præfatorum, poteſt proſequi articulum per alium inchoatum, etiamſi idem inchoans nullo canonico impedimento præpeditus ſit. Iiſdem litteris pag. 41.

§. 8.

Ut in Eccleſiaſtica dignitate conſtituti Nobis faveant.

Mandatur cuilibet in Eccleſiaſtica dignitate conſtituto, & Metropolitanæ vel alterius Cathedralis Eccleſiæ Canonico, quatenus à Nobis, vel Procuratoribus Noſtris requiſiti, per ſe vel alios, privilegia Noſtra conceſſa & concedenda, ſolemniter publicent, & efficacis defenſionis præſidio Nobis aſſiſtentes, faciant pacificâ poſſeſſione, ſeu quaſi, eorumdem gaudere. Con-

re. Conceſſit Sixtus IV. Minoribus, per Bullam, dat. 31. Aug. 1474. Incipit: *Regimini.* eſt 14. in Bull.. Regul. in n. 53. & Prædicatoribus ſub eadem die,& anno,ibid. eſt 33. in n. 54.& Auguſtinianis dàt. 7. Idus Febr. 1474. Incipit: *Dum fructus uberes*: eſt 34. ibid. Tenentúrque præterea omnes perſonæ aliàs de jure capaces, pro parte Noſtrorum requiſitæ, nisì legitimo impedimento detentæ fuerint, juriſdictionem & conſervationem Noſtram ſub excommunicationis pœna ſuſcipere. Conceſſit Iulius II. Minoribus per Bullam, datam 15. Kalendas Iunii 1504. Incipit: *In militantis*; eſt 9. in Bull. Regularium.

§. 9.

Facultas eligendi Conſervatores contra Eccleſiaſticos.

Itèm per privilegium in ampliſſima forma conceſſum Minimis per Clementem VII. per Bullam, datam 9. Martii 1524. Incipit: *Conqueſtionem*: eſt 6. in Bull. com. in n. 2. poſſumus eligere Nobis Conſervatores contra quaſcumque perſonas Eccleſiaſticas, tam Regulares quàm ſeculares, nec non laicos, Communia civitatum & diœceſium.

§. 10.

Conſervatores nolentes exſequi, ipſo facto excommunicantur.

Ii quos in Conſervatores eligere poſſumus per Bullam Pii V. conceſſam Ordini Prædicatorum XXIII. Septembr. an. M. D. LXXI. & impreſſam Romæ anno M. D. LXXII. excommunicationis, ſeu ſuſpenſionis latæ ſententiæ pœnam incurrunt ſtatim, quòd munus ſive officium Conſervatoris hujuſmodi acceptare, ac debitè & plenariè exſequi neglexerint; & reſervatur abſolutio Summo Pontifici.

Privilegiis hujus verbi uti poterunt Provinciales, & alii ſubordinati Superiores de eorum licentia. Circa ſuperiora autem advertantur ea loca Concilii, quæ citantur infrà verbo Exemtio. §. 1. *necnon & cap.* 11. *de Reform. ſeſſ.* 24.

CONSTITUTIONES.

§. 1.

Præpoſitus cum Generali Congregatione condendi jus habet quaſcumque Conſtitutiones, etiam mutandi, declarandi.

Præ-

PRæpoſitus cum Sociis in Congregatione Generali, accedente majori ſuffragiorum parte, quaſcumque particulares Conſtitutiones, quas ad finem in Societate propoſitum conformes eſſe judicaverint, condendi jus habent. PAULUS III. pag. 2. junctâ pag. 6. Itémque eas mutare, alterare, caſſare, & alias de novo condere poſſunt, quæ ſimul ac conditæ erunt, auctoritate Apoſtolicâ confirmatæ cenſentur. Idem PAULUS. pag. 6. Poſſunt iidem eodem modo, quæ dubia eſſe poterunt in Societatis Inſtituto, declarare, JULIUS III. pag. 18.

§. 2.

Poteſt Generalis alia non ità magni momenti ex conſilio AA. ordinare.

In aliis, quæ non ſunt ità magni momenti, Præpoſitus Generalis, fratrum Conſilio, quatenus ipſe opportunum judicaverit, adjutus, quæ ad Dei gloriam, & commune bonum pertinere videbuntur, per ſeipſum ordinandi, & jubendi jus totum habet. JULIUS III. pag. 18.

Circa declarationem Conſtitutionum, vide infrà verbo *Generalis* §. 5. & 6. & circa confirmationem, verbo *Confirmatio*; & circa earum aut Inſtituti impugnationem, aut in-

aut interpretationem, verbo *Inſtitutum.* §. 1. & 2.

CONTRACTUS.

§. 1.

Contractus celebrandi Societatis conſvetudo.

Societatis contractus non capitulariter, ſed more ipſius Societatis, ac juxta illius Conſtitutiones & Decreta, per Præpoſitum Generalem, vel ipſam Societatem, eſſe celebrandos, conceſſit Pius V. confirmans circa hoc eaſdem Conſtitutiones, & Decreta. pag. 33.

§. 2.

Omnes habentur rati, eorúmque ſuppleti defectus.

Habentur rati omnes contractus Societatis celebrati uſque ad diem 12. Maji Anno Domini 1568. quibus ſolemnitates, & cæremoniæ de jure obſervandæ, bonâ fide fuerunt omiſſæ. Pius V. in vivæ voc. orac. fol. 53. in fine, & ſeq.

Vide verb. *Alienatio.* §. 2. & ſeq. & verbo *Generalis* §. 4. & verbo *Titulus.*

COR-

CORPORALIA.

Tactus & benedictio corporalium.

AN noſtri laici poſſint tangere ac lavare corporalia, Vide verbo *Sacra*. §. 1. Vide etiam, quæ circa eorum benedictionem habentur. verbo *Benedicere*. §. 2. & 3.

CORRECTIO.

§. 1.

Forma in correctionibus tenenda.

IN infligendis correctionibus & punitionibus Noſtrorum delinquentium, Prælati Societatis, ad quos id noſcitur ſpectare, poſtpoſitis juris apicibus, liberè procedere poſſunt, ſecundùm conſvetudines approbatas, & generalia Inſtituta Societatis facta, aut facienda, obſervatis in hoc deliberatione ac maturitate debitâ. Conceſſit Bonifacius VIII. Minoribus per Bullam, datam 2. Idus Nov. anno 1. Incipit : *Ad augmentum* : eſt 2. in Bull. Regul. & Ciſtercienſibus per Bullam, datam idib. Febr. anno 3. Incipit :

Ad augmentum. ibid. & Julius II. Minimis per Bullam, dat. 5. Kal. Aug. 1506. Incipit: *Virtute conſpicuos*: eſt poſt 10. ibid. in n. 29. & Congr. Montis Oliveti per Bullam, datam prid. Non. Junii, 1507. Incipit: *Etſi ad univerſos*: eſt 12. in Bull. comm. in n. 9. & Leo X. Camaldulenſibus per Bullam, datam 4. Nov. anno 1. Incipit: *Etſi à Summo*: eſt 2. in Bull. comm. in n. 11.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus.

§. 2.

Facultas excommunicandi Noſtros, incarcerandi, &c.

Omnes Præpoſiti, per ſe vel alios quoſvis, Societatis inſolentes, & qui id mereri videbuntur, poſſunt liberè excommunicare, capere, incarcerare, & aliàs ſuæ diſciplinæ ſubmittere; & ad id, ſi opus fuerit, auxilium brachii ſecularis invocare. Paulus III. pag. 4.

Communicatur omnibus Superioribus quoad alia ab excommunicatione, reſpectu cujus facultas ſit penès Provincialem, prout dictum eſt verbo Apoſtatæ. §. 5.

An à correctione Regulæ liceat appellare. Vide ſuprà verbo *Appellatio.*

§. 3.

An, &

An, & quomodo Noſtri deputari poſſint ad Miniſteria Prælatorum.

Tam Præpoſitus Generalis, quàm alii Inferiores Superiores, minimè tenentur deputare Noſtros ad ullum Miniſterium, etiam Archiepiſcoporum, aliarúmque Eccleſiarum Prælatorum, niſi de authoritate Litterarum Sedis Apoſtolicæ, de Societate, & Indulto hujuſmodi expreſſam facientium mentionem: & ſi quos deputari contingeret, nihilominus ſub Ordinis correctione exiſtant, & eoſdem removere poſſint. Deputati verò ad prædicandam Crucem, vel ad inquirendum contra hæreticam pravitatem, removeri à Præpoſito Generali poſſint, aliò transferri, quòd ſuperſedeant juberi, alii in eorum locum ſubſtitui. Conceſſit Paulus III. pag. 39. & Innoc. IV. Minoribus per Bullam, datam 7. Kal. Sept. anno 4. Incipit: *Cum ſicut accepimus*: eſt 5. in Bull. Regularium.

§. 4.

De Confeſſariis Prælatorum, & Principum.

Quicumque ex Noſtris, non obtentâ licentiâ Summi Pontificis, fuerint Cardinalium, ſeu aliorum Prælatorum, aut quarumvis aliarum Perſonarum Eccleſiaſticarum, vel ſecularium Confeſſarii, aut Familiares (non tamen in Domibus eorundem

Cardinalium commorantes) perinde Superioribus, & correctioni ipſorum ſint ſubjecti, ac ſi ejuſmodi clientelâ non potirentur. Imò ad renunciandum officiis, & familiaritatibus hujuſmodi per Superiores Societatis compellendi. Conceſſit Martinus V. Auguſtinianis per litteras An: 1426. Incipiunt: *Ad circumſpectam*: ùt in eorum Bull. Itèm Nicolaus V. mandavit hujus Bullæ executionem per litteras Anno 1451. Inc: *Solicitudo.* ibid. & Julius II. Olivetanis per Bullam, dat. prid. non. Jan. Incipit: *Etſi ad univerſos*; eſt 12. in Bull. comm. in n. 22.

§. 5.

Interceſſiones Externorum non admittendæ.

Per Privilegium conceſſum Prædicatoribus à Greg. XIII. per Bull. dat. 1. Jun. 1580. Prælati eorum jubentur in Virtute S. Obedientiæ, nè ad inſtantiam Perſonarum tam Eccleſiaſticarum, extra ipſum Ordinem, quavis dignitate, etiam Cardinalitiâ fulgentium; quàm Laicarum, etiam Regali, & Imperiali, ullam gratiam concedant, vel pœnas remittant: & Fratres, qui per mendicatos hujuſmodi favores aliquid acquiſiverint, perpetuò inhabiles declarantur. Habetur in Bull. Comm. Bullâ 62. hujus Pontificis. Quam confirma-

firmavit, extenditque Clemens VIII. & ſimiliter alii Pontifices aliis Religionibus conceſſerunt &c.

DECIMÆ.

Vide verbo *Exemtio.* §. 4. 5. & ſeq.

DECLARATIO.

Declaratio Privilegiorum & Conſtitutionum.

CIrca declarationem noſtrarũ Conſtitutionum, & Privilegiorum, ac Noſtri Inſtituti, vide, quæ dicuntur verbo *Generalis.* §. 5. & 6. Itèm vide, quæ peculariter circa Privilegiorum declarationem habentur verbo *Privilegia.* §. 4. Pro declaratione autem dubiorum conſcientiæ, vide verbo *Scrupuli.*

DIGNITAS.

Omnibus, etiam Generali, interdicitur acceptatio cujuſcumque dignitatis extra Societatem.

PRæpoſitus Generalis abſque Societatis conſenſu, vel aliquis ex Sociis hujuſmodi, abſque Generalis Præpoſiti expreſſa licentia, electioni ſeu proviſioni de illius in quamcumque dignitatem per quemcumque Principem, vel quodcumque Capitulum, aut alios ad id auctoritatem habentes, factæ conſentire, aut ad illam admitti, ſeu alicujus prælationis & dignitatis in eadem Societate, ſi eam occultâ aut manifeſtâ ambitione quæſiſſe convincetur, capax eſſe nullatenus poteſt. PAULUS III. pag. 10.

Ad Sacerdotium, vel ad Profeſſionem, aut cujusvis gradûs mutationem nemini adſpirare licet. GREGORIUS XIV. Conſt. pag. 98.

DISPENSATIO.

§. I.

Facultas diſpenſandi ſuper irregularitate.

POteſt Præpoſitus Generalis, per ſe, vel per alios ad id deputatos, diſpenſare cum iis omnibus, qui ſub Obedientia Societatis degunt, ſuper irregularitate,

tate, ſi quam incurrerint, eò quòd excommunicati, aut ſuſpenſi, aut interdicti, aut in loco interdicto Divina officia celebrârint, aut Ordines ſuſceperint, niſì exceſſus diſpenſandorum ſit adeò gravis, ut ad Sedem Apoſtolicam ſint remittendi, juxta explicationem Sixti IV. in Bulla pro Prædicatoribus data prid. Kal. Sept. 1474. Incipit: *Regimini univerſalis*: eſt 33. in Bull. Regul. n. 41. Sic tamen diſpenſati, niſì mox Ordinem intrare, & peractis experientiis ſecundùm Societatis Conſtitutiõe s vota emittere parati ſint, etiamſi ſuper hoc induciæ eis à Prælatis concedantur, eo ipſo in priſtinas ſententias reincidant. Paulus III. pag. 11.

Hac facultate uti poſſunt omnes Superiores.

§. 2.

Facultas diſpenſandi ſuper defectu natalium, irregularitate non omni.

Præpoſitus Generalis, & de ejus licentia Provinciales, ac eorum Vicarii, & loca tenentes, poſſunt cum Religioſis Societatis, defectum natalium quovis modo patientibus, & quavis ex cauſa irregularibus, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, & mutilationis membrorum, poſtquam in Societatis Ordine vota emiſerint, diſpenſare, ut ad ſacros Ordines, ac eorum uſum; &, ut prædictum defectum natalium

lium patientes, ad quamvis adminiſtrationem, ad præeminentias, & officia Societatis, eligi, recipi, & aſſumi, licitéque ea exercere poſſint. Paulus III. pag. 13. & Gregor. XIV. pro Clericis Regularibus miniſtrantibus Infirmis per Bullam, dat. 11. Kal. Oct. 1591. Inc: *Illius, qui pro Gregis:* eſt 17. in Bull. comm. in n. 29.

Hæc facultas conceditur Provincialibus. Si quis verò poſt ingreſſum in Societatem inciderit in irregularitatem, quæ dicitur ex defectu lenitatis, conceditur etiam reliquis Superioribus, & Confeſſariis facultas cum eo diſpenſandi.

§. 3.

Facultas diſpenſandi cum Noſtris ſuper irregularitate homicidii cum limitatione.

Poſſunt Præpoſitus Generalis ac Provinciales diſpenſare cum Noſtris ſibi ſubditis in irregularitate homicidii: dummodo tales homicidæ non ſint certi, quòd ipſi actualiter occiderunt, nec pro certo ſciant, quòd fuerunt tales mandatores vel auxiliatores homicidii, quòd ſinè illis nullo modo fuiſſet tale homicidium perpetratum. Conceſſit hoc Sixtus IV. Ordini Minor. ùt in ejus Oraculis in Bull. Regul. n. 7. Sed amplior habetur conceſſio Pii V. data.

data Abbatibus, & Prælatis Caſſinenſibus, per quam Superiores poſſunt diſpenſare in omni Irregularitate, etiam ex cap. homicidii voluntarii, & datâ operâ ante ingreſſum in Societatem perpetrati, dumtaxat in foro conſcientiæ cum Noſtris, etiam Novitiis, in ea tamen perſeverantibus, & donec in ea vixerint. Habetur in Bull. comm. Bullâ 129. datâ Idib. Junii. 1571. Incipit: *Dum ad Congregationem* in n. 1. & 2.

Hæc facultas communicatur Provincialibus. Sed in irregularitate ex bigamia, & ex homicidio voluntario procedente, ſoli Præpoſito Generali reſervatur.

§. 4.

Facultas diſpenſandi cum Noſtris ſuper omni irregularitate, etiam in caſibus Papæ reſervatis.

Poteſt Præpoſitus Generalis in foro conſcientiæ diſpenſare cum perſonis Noſtræ Societatis, ſuper omni irregularitate, etiam in illis caſibus, in quibus Papa ſibi vicem reſervat, ſcilicet in morte, in membrorum obtruncatione, & enormi ſanguinis effuſione; dum tamen aliquid eorum trium notorium non ſit, & hoc propter ſcandalum. Conceſſit Martinus V. Prioribus S. Benedicti Vallis Oleti, ubi habetur Originale, & refertur in Comp. Min. verb. *Diſpē-ſatio.*

ſatio. §. 24. & eſt oraculum authenticatum.

§. 5.

Quilibet ex Noſtris poteſt ſemel in vita diſpenſari à Confeſſario deputato ſuper irregularitate qualicumque.

Per Privilegium Monachorum S. Hieronymi in Hiſpania, quilibet Noſtrorum poteſt ſemel in vita diſpenſari in foro conſcientiæ, à Confeſſario per Superiorem deputato, ſuper irregularitate, quacumque occaſione contracta. Conceſſit Sixtus IV. 16. Maji. 1481. V, V. O. Habetur in Comp. Privil. ejuſdem Ordinis V. *Indulgentias Plenarias.* n. 3. Similis conceſſio Ciſtercienſibus per ſignaturam ab eodem Pontifice facta eſt. Habetur in Bull. Regularium; eſt Bulla 46. ubi communicat facultatem diſpenſandi ſuper irregularitate, quovis modo, & qualitercumque contracta, & contrahenda, per unum ex Confeſſariis, ad Confeſſiones Religioſorum deputatis: ſed iis tantùm favet, qui interfuerint Congregationi Generali.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi eam commiſerint, præterquam in irregularitate ex bigamia, & aliis tribus caſibus in ſuperiori §. contentis, qui Præpoſito Generali reſervantur.

Facul-

Facultatum, quæ proximè præcedentibus ribus §§. continentur, uſus eſſe non poteſt, in quibus ea Concilio Tridentino ſeſſ. 14. *cap.* 7. *repugnant; niſi in foro conſcientiæ tantùm, in quo licet illis uti juxta ea, quæ habentur Verbo* Concilium Tridentinum §. 3.

§. 6.

Facultas diſpenſandi circa jejunia, & cibos prohibitos cum Noſtris.

Poteſt Præpoſitus Generalis, per ſe vel per alios Profeſſos, quos elegerit, diſpenſare cum Noſtris circa jejunia & cibos prohibitos. Julius III. pag. 22. Per extenſionem tamen Gregorii XIII. de qua verbo *Communicatio gratiarum*. §. 4. id facere poteſt per quemlibet alium Societatis. Per conceſſionem autem Evgenii IV. factam Monachis S. Hierony. mi, ùt refertur in Comp. Minor. Verb. *Jejunium*. §. 7. Præpoſiti Domorum ac Rectores poſſunt dare licentiam de conſilio Medici, vel ſinè eo.

Id videtur conceſſum Vivæ vocis oraculo. Habetur ex Bulla Leonis X. datâ 6. Kal. Junii 1514. Incipit: *Religionis Zelus*: pro Conventibus S. Jacobi de Veles, & S. Marci in Hiſpania Ordinis S Jacobi; hodiéque authentica ibi ſervatur: quâ conceditur uſus ovorum, & lacticiniorum, etiam familiaribus, & Domeſticis: non

tamen

tamen conceditur diſpenſatio circa jejunium.

Hæc facultas, quo ad gratiam à Julio III. *factam communicatur omnibus Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint. Facultas verò* Evgenii *ſolis Superioribus.*

§. 7.

Facultas diſpenſandi ad petendum debitum cum conſanguineis.

Poſſunt Noſtri Confeſſarii, ſi ſint viri docti, & juxta formam Concilii Trid. approbati, ex commiſſione Provincialis diſpenſare in foro conſcientiæ ad petendum debitum cum iis, qui conſanguineum vel conſanguineam ſui conjugis poſt Matrimonium carnaliter cognoverunt, Pius V. Franciſcanis de obſervantia 27. Septembris anno 1569. Vivæ vocis oraculo; quod eſt inter Oracula hujus Pontificis. n. 9. in Bull. Regular. Idem Benedictinis certorum Monaſteriorum in Hiſpania, Nicolaus Francus Legatus à Latere 8. Junii 1476. ejus Breve legitur in Bull. Regul. n. 42. inter Bullas Sixti IV. & Benedictinis Valliſoletanis Ludovicus Card. S. Marcelli Major Pœnitentiarius 6. Kal. Aug. Pontificatûs Julii II. anno 1. Habetur inter Bullas hujus Pontif. ordine 23. in eodem Bullario. Itèm per Bullam Eugenii IV. pro Monachis

Congr.

S. Juſtinæ, dat. prid. Kal. Julii 1436. eſt 11. in Bull. comm. in n. 12. quæ conceſſiones procedunt in ſuppoſitione Doctrinæ communis, quòd prohibitio petendi debitum in hoc caſu eſt pœna, in qua ex conſvetudine Epiſcopus diſpenſare poteſt.

Facultas hæc conceditur Provincialibus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi per ſe, vel per alios eam commiſerint, admonito pœnitente, ut ſi conjugi ſit ſuperſtes, iterum nè contrahat abſque diſpenſatione impedimenti inceſtûs impedientis, ſi eo loco voluerit contrahere, ubi illud non fuerit conſvetudine legitimè abrogatum.

§. 8.

Facultas diſpenſandi ad petendum debitum cum ligatis voto ſimplici caſtitatis.

Poſſunt Noſtri Confeſſarii, ſi ſint viri docti, & juxta formam Concil. Trid. approbati, ex commiſſione Provincialis diſpenſare ad petendum debitum cum his, qui poſt votum ſimplex Caſtitatis matrimonium contraxerunt. Conceſſit Pius V. Franciſcanis 26. Octobris anno 1569. Vivæ vocis oraculo, quod refertur inter Oracula hujus Pontificis n. 12. in Bullario Regularium.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & aliis Confeſſariis, quibus ipſi eam commiſerint.

Vide

Vide quæ habentur verbo *Commutatio.* §. 2. Et qualiter Noſtri Superiores poſſint per ſe ipſos diſpenſare cum Noſtris ſibi ſubditis in omnibus irregularitatibus, & aliis, perinde ac poſſunt Epiſcopi cum Clericis & Laicis ſibi ſubjectis, etiam vigore Concilii Trident. vide juxta ea, quæ habentur infrà verbo *Prælati.* §. 3. Vide itèm quod peculiariter dicitur circa ultramontanos quoad relapſum in hœreſim, vel apoſtaſiam verbo *Abſolutio.* §. 8. Et quòd contentis hoc verbo non obſtet Concilium Tridentin. in foro conſcientiæ, Vide verbo *Concilium.* §. 3.

DOMUS.

§. 1.

Facultas ubique habendi domos.

QVomodo Domos ubique poſſit habere Societas; & eo ipſo quòd ſunt conſtructæ, vel donatæ, cenſentur erectæ & confirmatæ Apoſtolicâ auctoritate, Vide verbo *Bona.* §: 2.

§. 2.

Domus probationis habere poſſunt reditus.

Domus

Domus probationis Societatis poſſunt habere reditus. Pius IV. 19. Auguſti, 1561. confirmavit pag. 27. & Gregorius XIII. in ſua Conſtitutione VIII. Kal. Julii. 1584. pag. 75.

DONATIONES.

Utrùm donationes piæ commutari poſſint, ex uno uſu in alium, vide verbo *Commutatio*. §. 3. & alia circa donationes, vide verbo *Bona*. §. 1. 4. & 6.

DUBIA.

Vide quæ dicuntur ſuprà verbo *Declaratio.*

ECCLESIA.

§. I.

Facultas benedicendi, & conſecrandi Eccleſias, & Cœmeteria.

Poſſunt Noſtri facere benedici aut conſecrari Eccleſias Societatis cum Cœmeteriis, & primum lapidem poni per quoſcumque Epiſcopos, ſi Diœceſani ultra

tra quatuor menſes id facere diſtulerint. Paulus III. pag. 15. Idem quoad altaria conſecranda conceſſit Honorius Minoribus, ùt in eorum Mon. fol. 101. conceſſ. 212.

§. 2.

Facultas, & qualis, reconciliandi Eccleſias.

Poſſunt omnes Præpoſiti, ac Rectores, etiam aquâ per eos benedictâ, præſertim in locis remotis, ubi Epiſcopum aquàm benedicentem per duas dietas adire non poſſunt, liberè & licitè reconciliare Noſtras Eccleſias, Cœmeteria, & Oratoria, & eorum quodlibet, ſangvinis ſeu ſeminis effuſione, ſeu aliàs quomodolibet pollutas, ſeu polluta, quoties opus fuerit. Conceſſit Leo X. præfatis Minoribus, ùt habetur in eorum Supplem. fol. 16. pag. 2. & refertur in eorumdem Compend. verbo *Benedicere*. §. 14.

Hæc facultas omnibus Superioribus communicatur.

§. 3.

Facultas corpora exhumandi.

Poſsunt omnes Præpoſiti ac Rectores, in ſuis Eccleſiis & Capellis exhumare corpora defunctorum, & ad alias ſepulturas in eiſdem Eccleſiis ſuis transferre de conſenſu illorum, quorum intereſt. Conceſſit

ceſſit LEO X. Minoribus, ùt in eorum Supplemen. fol. 58. pag. 2. conceſſ. 162. adjuncto fol. 60. pag. primâ ante finem.

Hujus facultatis uſus ſit privatus tantùm, non ſolemnis vel publicus.

§. 4.

Facultas transferendi, & mutandi Eccleſias.

Adveniente caſu neceſſitatis, poſſunt Eccleſiæ Noſtræ transferri & mutari de uno loco ad alium; & locus prioris Eccleſiæ reduci ad uſus humanos ſecundùm commoditatem dictorum locorum, & Collegiorum, ſeu Domorum; modò tamen materia ædificiorum ponatur in Eccleſia alia. Conceſſit LEO X. Vivæ vocis orac. Minor. ùt habetur in eorum Supplem. fol. 92. pag. 2. conceſſ. 277.

Hæc facultas communicatur omnibus Provincialibus: eâ tamen non utantur, niſi rarò, & erectâ cruce.

§. 5.

Noſtras Eccleſias aut loca infringentes, excommunicantur ipſo facto.

Qui auſu temerario præſumſerint Eccleſias, aut loca Noſtra infringere, aut in illis violentiam damnabilem exercere, ipſo facto incurrunt excommunicationem, à qua abſolvi nequeunt, niſi per Sedem Apoſtolicam, vel per Conſervatores ab

eadem Noſtris aut Societati deputatos. Conceſſum eſt Franciſcanis, ùt in eorum Monum. fol. 105. conceſſ. 226. & Dominicanis, ùt in eorum privilegiis, fol. 55. pag. 1.

Quis indulgentias conſequantur, qui Noſtras Eccleſias, aut alia pia loca Societatis viſitant, vide infrà verbo *Indulgentia*. Vide etiam quod habetur verbo *Miſſa*. §. 2. & verbo *Immunitas*., & verbo *Benedicere*. §. 1.

ELEEMOSYNÆ.

Nobis eleemoſynas prohibere conantes quibus pœnis ſubjaceant.

MAndatur Ordinariis, eorúmque Vicariis, ſeu Officialibus, & Curatis, ac aliis quibuſcumque, qui nè Chriſti fideles Nobis eleemoſynas erogare præſumant, ſvadere, ac etiam ſub cenſuris inhibere, ac erogantes excommunicatos fore, prædicare, ſeu prædicari facere, ſeu pronunciare præſumunt, ut ab hujuſmodi perſvaſionibus, inhibitionibus, & mandatis omnino abſtineant: perſvadentésque, & inhibentes, & huic mandato

dato

dato non curantes obtemperare, niſi pœnituerint, & perſvaſiones, & inhibitiones, & prædicta revocaverint, intrà triduum poſtquam fuerint requiſiti, eo ipſo Ordinarii incurrunt interdictum ingreſsûs Eccleſiæ, ac ſuſpenſionem à regimine, & adminiſtratione ſuarum Eccleſiarum; inferiores verò ab eis, ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrunt. Conceſſit Sixtus IV. Minor. ùt in eorum Monum. fol. 149. pag. 1. conceſſ. 363.

Facultas requirendi, de qua in hoc §. *communicatur Provincialibus, & iis, quibus ipſi commiſerint.*

Vide quod circa eleemoſynas habetur verbo *Commutatio.* §. 4.

EMPHYTEUSIS.

AN emphyteutica bona poſſint Nobis donari, vide verbo *Bona.* §. 6. An, & quomodo poſſint bona Societatis dari in Emphyteuſim, vide verbo *Alienatio.* §. ſecundo.

EUCHARISTIA.

§. 1.

Facultas Euchariſtiam tenendi.

POteſt Societas in ſuis Eccleſiis, decenter tamen, ſacroſanctam Euchariſtiam ſervare. PAULUS III. pag. 14.

§. 2.

Omnibus licet quocumque tempore Euchar. ſumere à Noſtris, Paſchate excepto.

Omnes Chriſti fideles, quovis anni tempore, Rectorum Parochialium Eccleſiarum licentiâ minimè requiſitâ, poſſunt à Noſtris ſacram Euchariſtiam accipere, præterquam in feſto Paſchæ, Reſurrectionis Dominicæ, & in mortis articulo, niſi neceſſitas urgeat. Paulus III. pag. 14.

Quamvìs in Societatis Conſtitutionibus parte 7. cap. 4. D. exponatur feſtum Paſchæ juxta communem conſvetudinem, intelligi eam hebdomadam, quæ ipſum diem Reſurrectionis præcedit, & ſimul eam, quæ ſubſequitur; excipi verò eos, quos jus ipſum excipit, nec non qui jam ſuis Parochiis ſatisfecerint; per privilegia tamen Minorum, aliorúmque, reſtringi poteſt prædicta expoſitio ad ipſum diem Reſurrectionis: juxta id, quod in §. ſequenti dicitur: cujus quidem facultas, & hujus etiam §. communicatur omnibus Sacerdotibus. Num-

quam

quam tamen in alienis Eccleſiis ſine licentia eorum, ad quos pertinet, hoc Sacramentum miniſtrabunt.

§. 3.

Etiam die Paſchatis de licentia Parochi.

Poſſunt Noſtri Sacerdotes miniſtrare Sacramentum Euchariſtiæ omni tempore, præterquam in die Reſurrectionis Domini; imò etiam dicto die licebit; ſed tunc non nisì accedente Rectoris Parochialis, aut Diœceſani licentiâ. Habetur ex Bullis authenticis Nicolai V. & Sixti IV. pro Minoribus, ùt in eorum Compendio V. Communicare. num. 4. & 5. Pauli III. pro Clericis Regularibus S. Pauli, dat. 8. Kal. Aug. 1535. Incipit: *Dudum felicis*: eſt 5. hujus Pontificis in Bull. comm. in n. 7. & Pii. IV. pro Minoribus, dat. 27. April. 1561. Incipit: *Ex clementi Sedis*: eſt 2. in Bull. Regul. & Pii V. pro Mendicantibus dat. 7. Kal. Junii 1567. Incipit: *Etſi mendicantium*: eſt 41. in Bull. com. in n. 4. poſt primum §. 26.

§. 4.

Poteſt in Noſtris Eccleſiis Sacramentum miniſtrari à Noſtris, aliiſque perſonis.

Poſſunt Noſtri in noſtris Eccleſiis miniſtrare, ac miniſtrari facere Sacramen-

tum Euchariſtiæ quibuſcumque perſonis, quoties opus fuerit. Conceſſit Julius II. Minimis, per Bullam dat. 5. Kal. Aug. 1506. Incipit: *Dudum*: eſt 10. in Bull. comm. in n. 39.

Communicatur Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint.

Vide quæ habentur infrà verbo *Sacramenta*, & ſuprà verbo *Altare*.

EXCOMMUNICATIO.

§. I.

Quomodo excommunicatio proferenda.

SI Præpoſiti aut Rectores ſententiam excommunicationis in aliquem Noſtræ Religionis in Congregatione, vel Communitate ferre velint, non tenentur eam ſcripto proferre, non obſtante pœnâ juris. Habetur V. V. O. Leonis X. eſt 66. inter ejus Oracula in Bull. Regularium.

Si in aliquo caſu opus eſſet hac facultate, quilibet Superior, qui excommunicare poteſt, eâ uti poterit.

§. 2.

In ab-

In abſolutione ab excommunicatione non tenentur ſervare formam.

Noſtri Confeſſores, abſolvendo in foro conſcientiæ excommunicatos, non tenentur ſervare formam, quæ obſervatur in publicis abſolutionibus, ſcilicet flagellationem cum Pſalmo *Miſerere mei*: Ex V. V. Orac: Leonis X. authenticatum Litteris ſub plumbo, ùt in Bull. Regul. inter ejus Oracula. n. 16.

§. 3.

Niſi nominatim, Noſtri non poſſunt excommunicari, &c.

Nicolaus IV. noluit Fratres ligari aliquâ ſententiâ excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, vel hominis, niſi nominatim fieret mentio: nec ſufficeret, ſi diceret in ſententia generali, ut perinde valeant, ac ſi eſſent nominati expreſsè. Habetur in Cæremoniali, ſeu Pontificali in Bibliotheca Vaticana.

Non liquet de fundamento hujus Privilegii.

§. 4.

Noſtri non incurrunt excommunicationem &c. ob participationem in divinis cum excommunicatis.

Noſtri propter participationem etiam in Divinis cum Excommunicatis, ſuſpen-

ſis, & interdictis à jure, vel ſtatutis Ordinariorum, nullam excommunicationis, ſeu cenſuræ, aut peccati maculam incurrunt: niſi ipſi Excommunicati eſſent ſpecialiter denunciati. Conceſſit Eugenius IV. Monachis S. Iuſtinæ per Bullam, dat. 30. Iun. 1426. Incipit. *Etſi quaslibet*: eſt 11. in Bull. Regul. in n. 17. & Iulius II. Olivetanis per Bullam, dat. 1. Iun. 1507. Incipit: *Etſi ad univerſos*: eſt 12. in Bull. comm. in n. 23.

A quibus Excommunicationibus Noſtri poſſint abſolvere, vide verbo Abſolutio. *Et an Noſtri poſſint commorari in terris excommunicatorum, &c. vide verbo* Hæretici. § 1. *Vide etiam circa hoc verbum, quæ habentur verbo* Correctio. §. 2. *&* *verbo* Apoſtatæ. §. 7. *verbo* Interdictum, *ac verbo* Prælati. §. 2.

EXEMTIO.

§. I.

Societas, ejúſque bona eximuntur ab Ordinariis, ſolique ſedi Apoſt. ſubjiciuntur.

SOcietas, & univerſi illius Socii, ac perſonæ, illorumque bona quæcumque, ab omni Superioritate, juriſdictione, & cor-

& correctione Ordinariorum ſunt exemta, ac libera, ſuſceptáque ſub Sedis Apoſtolicæ protectione. Paulus III. pag. 11. & idem corroboratur per Bullam à Clem. VI. pro Eremitanis dat. 14. Kal. Aug. Anno 6. Incipit: *Ad fructus uberes*: eſt 1. in Bull. Reg. & ab Eugenio IV. confirmante per ſuam Bullam alias Deceſſorum Bonifacii IX. & Martini V. ùt in Comp. Minor. *V. Exemtio.* n. 15. 16. Iuxta quod tam perſonæ, quàm res Societatis eximuntur à juriſdictione quorumlibet Ordinariorum, & Prælatorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, ac in jus, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ, & ſub eorum ſpeciali & immediata protectione ſuſcipiuntur: ità quòd præfati Prælati, aut quævis alia perſona, nequeat etiam ratione delicti, ſeu contractûs, vel rei de qua agitur, ubicumque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, juriſdictionem quomodolibet exercere. Pariter qui ſunt de Societate, per litteras Apoſtolicæ Sedis, aut Legatorum, ſeu Delegatorum ipſius, conveniri à quocumque minimè poſſunt, niſì hujuſmodi Apoſtolicæ litteræ de hoc indulto, & Ordine Noſtro expreſſam faciant mentionem. Conceſſit Clem. IV. Minoribus per Bullam, ùt in eorum Comp. V. *Exemtio* n. 1. & V. *Conveniri in judicio.* n. 1. 2. & Sixtus IV.

per Bullam dat. 31. Aug. 1474. Incipit: *Regimini*: eſt 14. in Bull. Regul. n. 15. Idem Pontifex ſimilibus litteris, eadem die expeditis, confirmavit hujuſmodi Indultum Gregorii XI. pro Dominicanis. Habetúrque in eodem Bull. Bullâ 33. Sixti IV. n. 17.

Quibus tamen caſibus Tridentina Synodus nos Epiſcopis ſubjecerit, patet multis locis, ut ſeſſ. 5. c. 2. de Reform. ſeſſ. 6. cap. 3. de Reform. ſeſſ. 7. c. 7. & 14. de Reform. à verſu Addendo *& infrà. Itèm ſeſſ. 23. c. 15. & ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim. verſ.* Quòd ſi quis Parochus, *& c. 2. de Reform. & ibidem cap. 4. verſu* Nullus. *Itèm ſeſſ. 25. cap. 4. verſ.* Qui verò, *& ſeq. & c. 11. & 13. quoad præcedentias, & 14. ac 16. in fine de Regul. præter alia, quæ ſuis locis in hoc Compendio nonnumquam reperientur.*

§. 2.

Noſtri poſt tria vota ſubſtantialia etiam ſimplicia, ab Ordinariis eximuntur.

Eos, qui in Societatem admiſſi, biennio probationis peracto, tria vota ſubſtantialia, tametſi ſimplicia emiſerint, aut in futurum emittent, à quorumvis Ordinariorum, & Delegatorum, ſeu aliorum Iudicum juriſdictione omnino exemtos eſſe, habetur in Conſtitutione Gregorii XIII. pag. 78.

§. 3.

Noſtri ſinè Superioris conſenſu ad quodvis officium ſive exercitium, etiam à Cardinalibus, &c.

Nullus ex Religioſis, ſub Obedientia Societatis degentibus, à quibusvis quacumque Eccleſiaſticâ, vel ſeculari dignitate ſeu auctoritate fungentibus, etiamſi Cardinales ſint, vel Patriarchæ, Synodi, Communitates, Capitula, aut Officii hæreticæ pravitatis Inquiſitores, ac Commiſſarii, vel Iudices, tam ipſius Officii, quàm Ordinarii, vel Delegati, ad quodvis munus, officium, vel exercitium, etiam in defectum aliorum, abſque expreſſo ſui Superioris conſenſu, ac etiam mandato, adigi, vel cogi poteſt. Gregorius XIII. pag. 80.

Uſum hujus Privilegii interdixit P. Claudius litteris, datis 20. Martii 1589. & Congr. V. Decr. 21. pro regionibus Tribunali Inquiſitionis Hiſpanicæ ſubjectis.

§. 4.

Non tenentur ſolvere Decimam, etiam Papalem.

De Domibus, ac Collegiis, & eorum prædiis, hortis, aliiſque locis, quæ juxta Noſtrum Inſtitutum habere poſſumus; aut de iis, quæ pro eiſdem emendis, No-

bis pro tempore legari, aut donari contigerit; & denique de aliis bonis per Societatem, ejúſque Collegia poſſeſſis, & obtentis, non tenemur ſolvere aliquam Decimam, etiam Papalem, ſeu Canonicam portionem exhibere, nec ad præſtationem procurationum, aut exactionum, collectarum, vel proviſionum quarumcumque; nec ad id etiam per litteras Apoſtolicas compelli, niſi ejuſmodi litteræ de hoc indulto de verbo ad verbum, ac de Societate fecerint mentionem. Quòd ſi per Sedem Apoſtolicam ex piis legatis, diſpoſitis, vel relictis, aliqua pars alteri piæ, vel non piæ cauſæ ſit conceſſa, aut concedetur, Noſtri, ac noſtra, ſeu Nobis legata & relicta, aut aliàs in Noſtrum favorem diſpoſita, ſub his conceſſionibus non comprehenduntur, niſi de Nobis, & hoc indulto, & Pontificis voluntate ſpecifica fiat mentio in eiſdem, & non per clauſulas generales idem importantes. Paulus III.

§. 5.

Præcedentis paragraphi ampliatio per Gregor.

Ea quæ præcedenti §. ſunt præſcripta, cum ſpecifica mentione Domuum Probationis confirmavit Pius IV. pag. 27. & ſeq. exemtionémque pro potiori cautela concedendo à quibusvis Decimis, etiam

Papa-

Papalibus, prædialibus, perſonalibus, quartis, medietatibus, & aliis fructuum partibus, ſubſidiis etiam caritativis, & aliis ordinariis oneribus, etiam pro expeditione contra infideles, defenſione patriæ, ac aliàs quomodolibet, etiam ad Imperatorum, & inferiorum Principum inſtantiam impoſitis; & quamvis in ipſa impoſitione caveatur, quòd nulla prorſus exemtio cuiquam adversùs illa ſuffragetur. Idémque per omnia confirmavit Gregorius XIII. pag. 59. ubi quoad hoc derogat diſpoſitioni cap. *Nuper.* de Decimis.

§. 6.

Eximuntur etiam à gabellis, &c.

Eadem exemtione, quoad pleraque ex dictis, gaudet Societas per privilegium Eugenii IV. conceſſum Monialibus S. Claræ; Habetur ex Bulla Eugenii IV. data Idib. Aug. 1439. Incipit: *Licèt Romanus Pontifex*: eſt 29. in Bull. Regul. ubi & quoad gabellas expreſsè exemtio conceditur: habétque præfatum privilegium inſignes clauſulas, nè derogari poſſint. Habetur per Bullam Bonifacii VIII. datam 5. Non. Jun. anno 2. Incipit: *Laudabilis*: eſt 3. in Bull. Regul. Sixti IV. pro Carmelitis 1. Decemb. 1476. Incipit: *Dum attenta*: eſt 37. ibid. Clementis VII. pro Camaldulenſibus, dat. 27. Jul. 1528.

 Inci-

Incipit: *Veſtrum Ordinem*: eſt 23. in Bull. comm, & Pii V. pro omnibus Regularibus dat. 29. Jul. 1567. Incipit: *Dum ad uberes*: eſt 11, in Bull, comm. Similiter & quoad pleraque ex prædictis ſuffragatur aliud privilegium Bonificii IX. conceſſum Prædicatoribus per Bullam, datam 3. Kal. Maji. an. 3. Incipit; *Etſi pro cunctorum*: ùt in eorum Privilegiis, impreſſis Romæ Anno 1670. p. 63, eámque confirmavit Martinus V, per Bullam, datam Ibid. Julii. A. 3. Incipit: *Ad ſummi Apoſtolatûs*. ibip. p. 66. ubi expreſſè etiam eximuntur, nè pedagia, & telonea, & alias exactiones quibusvis Regibus, ſeu aliis perſonis Eccleſiaſticis, vel ſecularibus ſolvere teneantur.

§. 7.

Eximuntur à quacumque collecta ſeu contributione, ratione perſonarum vel rerum, ad refectionem pontium, &c.

Per privilegium conceſſum Ordini S. Joannis Hieroſolymitani, eximuntur etiam Noſtri ampliſſimè à quacumque juriſdictione, & â quacumque collecta, ſeu contributione, ratione perſonarum, vel rerum, etiam ad refectionem pontium, fontium, furnorum, murorum, ſeu Eccleſiarum, etiamſi forſan eatenus per abuſum, ſeu alterius privilegium, vel ne-

gligen-

gligentiam, etiam per longiſſimum tempus taliter obſervatum non fuiſſet. Conceſſit Clemens VII. Militiæ S. Joannis Hieroſolymitani; & confirmavit Pius IV. per Bullam datam 1. Iulii 1560. Incipit; *Circumſpecta:* eſt 9. in Bull. comm. in n. 37. & Pius V. pro Militia S. Lazari dat. 7. Kal. Febr. 1567. Incipit: *Sicuti bonus Agricola:* eſt ibid. 28. in n. 15.

§. 8.

Supradicta non poſſunt Noſtris imponi à Regibus & Principibus.

Per Privilegium itèm Congregationis Canonicorum S. Salvatoris, definitum eſt, nè quis Rex, Principes, Duces, Marchiones, Barones, Milites, Nobiles, Laici, Communitates, Univerſitates, Magiſtratus, Rectores, & Officiales Civitatum, Terrarum, Caſtrorum, & diœceſium quarumcumque, noſtris ſeu rebus, ſeu perſonis, audeant vel præſumant gabellas, talias, datia, collectas, etiam pro pontium refectionibus, aut viarum reparationibus, aliáve onera ſeu gravamina inferre, indicere, vel imponere. aut indicta & impoſita exigere, ſub excommunicationis, & maledictionis æternæ pœnis: quas, nisì præſentium habitâ notitiâ prorſus deſtiterint, ipſo facto incurrant. Habetur per Bullam Iulii II. dat. 4. Non. April. 1512.

Inci-

Incipit: *Inter cæteros*: eſt 30. in Bull. comm. in n. 37. & ejuſdem Pontificis pro Olivetanis, dat. prid. Non. Iunii. 1507. Incipit: *Etſi ad univerſos*: eſt 12. ibid. in n. 25. & Leonis X. pro Camaldulenſibus, dat 4. non. Iulii, 1513. Incipit: *Etſi à Summo*: eſt 2. ibid. in n. 28.

Facultas, ut fiat dicta notificatio, communicatur Provincialibus, & iis quibus ipſi commiſerint.

§. 9.

Imponentes ipſo facto excommunicantur.

Per privilegium Minorum, de quo in eorum Compendio V. *Exactiones.* §. 1. imponentes angarias, vel alias impoſitiones, vel alia quævis damna Noſtris, ſunt excommunicati ipſo facto: & ſi contumaces ab his non deſtiterint, à ſolo Papa poſſunt abſolvi.

§. 10.

Noſtri nõ tenentur viſitare, aut inquirere, vel Monialium curam ſuſcipere.

Non tenentur Noſtri, etiam per litteras Apoſtolicas, nisi de hoc indulto, & Societate expreſſam fecerint mentionem, Officium correctionis, ſeu viſitationis, aut inquiſitionis, Monaſteriis, vel Eccleſiis, ſeu quibuſcumque perſonis impendere, vel procedere ad cognitiones cauſarum, citationes partium, & denuntiationes ſententiarum

tiarum, interdicti, vel excommunicationis: nec denique recipere curam Monialium, ſeu quarumlibet perſonarum religioſarum. Paulus III. pag. 12. & ſeq. Nec itèm cogi poſſunt ad audiendas Monialium confeſſiones. Habetur per Bullam Clem. IV. pro Minoribus dat. 12. Kal. Aug. A. 1. Incipit: *Virtute conſpicuos*: eſt 4. in Bull. comm. in n. 14. & Sixti IV. pro iisdem dat. 31. Aug. 1474. Inc: *Regimini*: eſt 14. ibid. in n. 16. & 38. & ejuſdem Pontif. pro Carmelitis, dat. 1. Dec. 1476. Incipit: *Dum attenta*: eſt 37. ibid. in n. 89. & Julii II. pro Minimis dat. 31. Julii 1506. Incipit: *Virtute conſpicuos*: eſt 26. in Bull. Regul. in n. 12.

Obſervandum nihilominùs eſt circa hoc, quod definitum eſt in Conc. Trid. ſeſſ. 25. *c.* 12. *de Regul.* §. 11.

§. II.

Non poſſunt cogi ad teſtimonium perhibendum.

Noſtri non tenentur jurare de calumnia. Habetur per plures Bullas: Honorii III. pro Carthuſienſibus, dat. 5. Idus Febr. A. 2. Incipit: *Cùm dilecti Filii*: eſt 3. in Bull. comm. Eugenii IV. pro Monachis Congr: S. Juſtinæ, dat. 30. Iunii. 1436. Incipit: *Regularem vitam*: eſt 9. in eodem Bull. in n. 14. & Julii II. pro Olivetanis eadem,

eadem, quæ ſuprà in §. 8. ſed in n. 24. & Leonis X. pro Camaldulenſibus, ùt ſuprà §. 8. ſed in n. 29.

§. 12.

Plures Noſtrorum exemtiones.

Per privilegium EVGENII IV. conceſſum Monachis S. Juſtinæ, cogi non poſſumus àd hoc, ut in Noſtris locis Miſſæ, aut alia divina celebrentur, Ordines conferantur, vel agitentur cauſæ civiles, ſeu criminales, proceſſiones convocentur, aut Synodi, conventus, ſeu quævis congregationes tam Eccleſiaſticarum, quàm laicarum perſonarum congregentur, ſeu quòd loca Noſtra deputentur ad uſum, hoſpitium, habitationem, detentionem, & incarcerationem Eccleſiaſticarum, vel laicarum perſonarum. Et præſumens attentare contra omnia, aut aliquod prædictorum, cujuſcumque conditionis, aut ſtatûs ſit, niſi factâ ei de hujuſmodi indulto notitiâ deſtiterit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Habetur per Bullam ejus Pontificis, dat. 7. Kal.. Martii 1434. Incipit: *Etſi ex debito*; eſt 2. in Bull. Regul. in n. 3.

Facultas notificandi, cujus in hoc §. fit mentio, communicatur Provincialibus, & iis, quibus ipſi commiſerint.

§. 13.

Noſtri

Noſtri non tenentur accedere Concilia, & Synodos.

Quando contingit fieri Concilia Generalia, Provincialia, ſeu Synodalia, etiam Apoſtolicâ, aut quavis authoritate firmata, ſeu quaſvis Congregationes Eccleſiaſticarum, vel Laicarum Perſonarum, cujuſvis dignitatis, aut ſtatûs exiſtant; Prælati Societatis ſeu ejus Perſonæ, ad ea ire, ſeu mittere nullatenus compelli poſſunt, etiam per litteras Apoſtolicas, ſpecialem mentionem non facientes de hoc Indulto. Habetur per Bullam Eugenii IV. citatam §. proximè ſuperiori, ſed in n. 2. & Iulii II. per Bullam, ſuprà citatam §. 8. ſed in n. 24. Et Leonis X. ùt ſuprà, eodem §. 8. ſed in num. 26.

§. 14.

Eximuntur Noſtri à ſolutione jurium.

Noſtri exemti ſunt à ſolutione Jurium, etiam Synodalium: à qua ſolutione eximuntur etiam Presbyteri, curam animarum exercentes in Eccleſiis Societati unitis. Conceſſum fuit Fratribus Hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani à Pio V. per Bullam, datam 9. Novemb. 1568. Incipit: *Etſi cuncta*: eſt 77. in Bullario communi. & Gregorii XIV. iiſdem Fratribus, dat. 30. Aprilis 1591. Incipit: *Quanta Chriſtianæ Reipublicæ*: eſt 5. ibid.

Vide

Vide verbo *Prælati.* §. 2. & verbo *Proceſſiones*; & verbo *Privilegia.* §. 11. & verbo *Inquiſitores.*

EXERCITIA SPIRITUALIA.

Vide verbo : Indulgentia. §. 34.

EXTREMA UNCTIO.

Infirmis intrà Noſtras domos adminiſtrari poteſt Extrema unctio.

EX Privilegio, conceſſo Clericis Regularibus, poſſunt Noſtri miniſtrare Sacramentum Extremæ Unctionis, non ſolùm Sociis, ſed & Mercenariis famulis Operariis Societatis, & quibuſvis hoſpitibus, etiam ſecularibus, & extraneis, quos in locis, vel habitationibus Societatis tunc reperiri contigerit; etiam Diœceſanorum, & Sacerdotum Curatorum, aut aliorum quorumcumque licentiâ minimè requiſitâ: & in caſu, quo non daretur ſpatium petendi talem licentiam propter repentinam neceſſitatem, etiam quibuſcum-

que

que aliis Perſonis, intrà, vel extra ſepta in mortis articulo conſtitutis. Habetur per Bullam Pii V. dat. Idibus Februarii 1567. Incipit: *Ad immarceſcibilem*, eſt 31. in Bull. comm. in n. 17.

Vide verbo *Familiares*; & verbo *Sacramenta*.

FAMILIARES.

§. I.

Quibus Noſtri miniſtrare poſſint Sacramenta.

POſſumus adminiſtrare omnia Sacramenta iis omnibus, qui in Noſtris morantur obſequiis, eóſque in Noſtris Cœmeteriis ſepelire. Paulus III. pag. 11. Et per conceſſionem Martini V. pro Benedictinis. Habetur per Bullam, non authenticatam, ùt in Comp. Min. V. *Familiares* n. 10.

Præter Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta, familiaribus Extrema unctio poterit adminiſtrari, atque adeò iis ſolis, qui in Domibus, Collegiis, Reſidentiis, & aliis locis Societatis habitaverint. Id etiam de ſepultura intelligatur. Extra ſepta verò cum

rò cum illis perinde, atque cum aliis agatur, prout habetur verbo Sacramenta.

§. 2.

Noſtris famulis, etiam Paſchatis tempore, omnia Sacramenta miniſtranda.

Poſſunt Noſtri famulis noſtrarum Domorum ac Collegiorum in habitu ſeculari deſervientibus, quoties opus fuerit, etiam Paſchatis tempore, & in mortis articulo, in Noſtris Domibus, Collegiis, & Eccleſiis, Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis Sacramenta miniſtrare: & ſepulturæ beneficium, cujuſvis licentiâ ſuper hoc minimè requiſitâ, impendere. Habetur per Bullam Cæleſtini V. datam 5. Kal. Oct. A. 1. Incipit: *Etſi cunctos Ordines.* & Greg. XI. pro Dominicanis per Bullam, dat. 2. nonas Martii A. 4. Incipit: *Virtute conſpicuos.* eſt 7. in Bull. comm. in n. 10. & Leonis X. per Bullam, datam Nonis Julii 1510. Incipit: *His, quæ pro fidelium:* eſt 41. in Bull. Regul.

Hæc facultas conceditur Superioribus, & quibus ipſi eam communicaverint.

§. 3.

Noſtri famuli poſſunt abſolvi à Noſtris à quibuſcumque, homicidio voluntario excepto.

Famuli & ſervitores Noſtri poſſunt eligere Confeſſorem de Societate, qui au-

dità

ditâ eorum Confeſſione, pœnitentiam ſalutarem eis injungendo, abſolvat eoſdem ab omnibus criminibus, exceſſibus, & cenſuris Eccleſiaſticis; & diſpenſet cum eis in omnibus irregularitatibus, ſi quas fortè contraxerint (homicidio voluntario, & mutilatione membri ſemper exceptis) & eis remiſſionem generalem, & plenariam omnium peccatorum impertiri valeât: & hoc idem poſſit in articulo mortis. Sixtus Minor. Vivæ vocis oraculo, ùt in Monum. eorum fol. 68. conceſſ. 131.

Per hoc tamen non conceditur Noſtris, in caſibus Bullæ Cænæ ſe immiſcere. Et quod attinet ad facultatem diſpenſandi in irregularitatibus, electus ex Noſtris eâ non utatur, niſi fuerit Superior, aut de Superioris licentia, idque in foro conſcientiæ tantùm.

§. 4.

Qui ſunt in ſervitio Societatis, conſequuntur plenariam indulgentiam.

Omnes qui ſunt in ſervitio Societatis, conſequuntur indulgentiam plenariam in morte, & ſemel in vita de reſervatis. Conceſſit Sixtus IV. Minor. V. V. O. non authenticato; ùt in Bull. Regul. inter Orac. Sixti IV. n. 2.

§. 5.

Dum ſunt in Noſtra domo, non poſſunt excommunicari.

Per Privilegium Alexandri IV. conceſſum Fratribus Hoſpitalis S. Joannis Hieroſolymitani, nemo, ſinè ſpeciali mandato Romani Pontificis, ſervientes Societati, etiam laicos, donec in ſervitio Domûs fuerint, excommunicationi vel interdicto poteſt ſubjicere: & aliter lata, irrita eſt ſententia & inanis. Refertur in Comp. Minor verbo *Familiares.* §. 11

Advertatur tamen ad id, quod habetur in Concilio Trident. ſeſſ. 7. cap. 14. de Reform. & ſeſſ. 14. cap. 4. & 5. de Refor. & ſeſſ. 24. cap. 10. & 11. de Reform. Item advertatur, quòd in caſibus, in quibus privilegia Noſtra Nobis non inſerviunt, privilegium §. iſtius circa eoſdem caſus Noſtris familiaribus nil proderit.

Vide verbo *Interdictum.* §. 2. & 4. cum admonitione, quæ ibi habetur in fine ejuſdem verbi. Vide etiam quod habetur verbo *Conſervator.* §. 1. & verbo Diſpenſatio pag. 6.

FESTIVITAS.

§. I.

Facultas dicendi Officium & Miſſam de B. Aloyſio.

Offici-

OFficium, & Miſſam de B. Aloyſio Gonzaga, ab omnibus Perſonis Societatis, juxta Rubricas Breviarii, & Miſſam die ſuo dicendam ab omnibus Sacerdotibus externis in Eccleſiis Noſtris, indulſit Gregor. XV. Brevi ſuo 2. Octob. Anno 1621. Habetur in Bull. comm. & eſt 10. hujus Pontificis.

§. 2.

Similiter de B B. tribus Martyribus Japonenſibus.

Idem in honorem BB. MM. Pauli, Ioannis, & Iacobi indultum ab Urbano VIII. Brevi ſuo, dat. 15. Sept. 1627. pro Perſonis tantùm Societatis. Quæ facultas à S. Congr. Rituum, annuente Pontifice, extenſa eſt ad omnes Sacerdotes, celebrantes in Noſtris Eccleſiis, Decreto dato 26. Sept. 1629. ùt in Bull. M. S. Soc: pag. 379. 380.

§. 3.

Et de B. Staniſlao.

Idem pro B. Stanislao Koſtka in omnibus Eccleſiis Societatis Regni Poloniæ, & Magni Ducatûs Lithvaniæ conceſſit Clemens X. Brevi, dat. 16. Aug. 1670. & alio 30. Sept. 1671. quæ habentur in

Bull. comm. inter Bullas hujus Pontificis. 12. & 45.

FEUDALIA BONA.

Utrùm bona feudalia poſſint donari Societati, vide ſuprà verbo *Bona*. §. 6.

FUNDATORES.

Vide verbo *Indulgentiæ*. §. 30.

GENERALIS.

§. I.

Generalis ſtatim poſt electionem fit verus Societatis Præpoſitus, cum libera adminiſtratione, &c.

PRæpoſitus Generalis, cùm primùm electus eſt juxta Societatis Conſtitutiones, eo ipſo fit verus ipſius Religionis Præpoſitus, cum libera & omnimoda cura, & adminiſtratione omnium, quæ ad felix regimen, & proſperam directionem

nem Societatis pertinent: potéſque plenam exercere juriſdictionem in omnes ſub ejus Obedientia degentes, ubicumque commorantes, etiam exemtos, etiam quaſcumque facultates habentes. Paulus III. pag. 10. Per privilegium verò Eremitarum S. Auguſtini, eo ipſo quòd electioni de ſe factæ conſentit, auctoritate Apoſtolicâ confirmatus intelligendus eſt; & liberè adminiſtrare & exercere poteſt, quæ ad ſuum officium pertinent, rejectâ quavis appellatione ſubditorum ſibi ratione dicti officii, quæ ab ejus præceptis, monitionibus, ordinationibus, mandatis, & decretis, Regulari diſciplinâ eorumdem, quomodolibet interponi continget. Habetur ex Bulla Sixti IV. dat. idus Febr. 1474. Incipit: *Dum fructus uberes*: eſt 34. in Bull. Regul. in n. 49. & pro Carmelitis per Bullam ejuſdem Sixti, dat. 4. Kal. Dec. 1476. Incipit: *Dum attenta*: eſt 37. in eodem Bull. in n. 68.

§. 2.

Poteſt ſuos mittere etiam ad infideles, & revocare.

Præpoſitus Generalis poteſt ſuos quocumque locorū, etiam inter infideles mittere, ac revocare: & à Sede Apoſtolica ſinè certi temporis limitatione miſſos, cùm expedire ad Dei gloriam, & animarum

auxilium judicabit, aliò transferre, Paulus. III. pag. 10.

§. 3.
Etiam cùm ad inquirendum contra hæreticos mittuntur.

Si qui è Noſtris ad prædicandum crucem, vel ad inquirendum contra hæreticam pravitatem, ſeu ad alia ſimilia negotia deputati fuerint, poteſt Præpoſitus Generalis, cùm expedire judicabit, eos removere, & aliò transferre: ipsíſque, ut ſuperſedeant, injungere, ac alios in eorum locum ſubſtituere. Paulus III. pag. 10.

§. 4.
Facultas celebrandi contractus.

Omnis facultas celebrandi contractus eſt penès Præpoſitum Generalem. Pius V. pag. 33.

§. 5.
Facultas declarandi dubia Conſtitutionum, &c.

Facultate conceſsâ Ordini Prædicatorum, poſſunt Præpoſiti Generales Societatis, auctoritate Apoſtolicâ declarare (quoad ſerenitatem illarum conſcientiarum, quæ ſibi ſubjectæ ſunt, dumtaxat) dubia, quæ ſuper noſtris Conſtitutionibus, privilegiis, indultis, gratiis, & exemti-

emtionibus à Sede Apoſtolica conceſſis & concedendis emerſerint. Julius II. per. Bull. dat. 4. Dec. 1509. Incipit: *Conſiderantes, quàm multa.* Habetur in Libro Privil. Ord. Præd. impreſſo Romæ. 1555. fol. 173. & Clem. VII. Tertiariis S. Franciſ. per Bull. dat. 6. idus Martii 1520. Incipit: *Ad uberes fructus*; eſt 5. in Bull. Regul.

§. 6.

Dubia Conſtitutionum, &c. ad Generalem remittenda.

Si quid dubii de pertinentibus ad Inſtitutum, Conſtitutiones, & privilegia Societatis oriri contigerit, ad Sedem Apoſtolicam, vel ad Generalem Præpoſitum, aut ad eos, quibus id ipſe commiſerit, referatur. Gregorius XIII. in ſua Conſtit. pag. 78.

Hæc facultas intelligitur juxta Canonem xxi. quartæ Congregationis generalis.

§. 7.

Facultas communicandi bona ſpiritualia Societatis.

Facultate conceſsâ Minoribus, poteſt Præpoſitus Generalis communicare ſuffragia indulgentiarum, orationum, ac beneficiorum ſpiritualium totius Societatis, Procuratoribus, & aliis quibuſcumque devotis, & benefactoribus ejuſdem Socie-

tatis. Urbanus V. Habetur per Bullam non authenticatam, ùt in Comp. Minor, V. *Generalis Ordinis* n. 4. & V. *Miniſtri*, n. 3. dicitur per easdem Litteras idem conceſſum fuiſſe Provincialibus pro ſuis Provinciis.

§ 8.

Transſumta ſeu copiæ privilegiorum valent, ſi manu alicujus Notarii ſignata ſint.

Per privilegia Eremitarum S. Auguſtini, omnia exemplaria, ſeu tranſſumta privilegiorum, quæ Societati fuerint conceſſa per Breve, vel ſupplicationem cum clauſula, ut ſola ſignatura ſufficiat, ſi manu alicujus Prælati, aut publici Notarii ſignata, aut Generalis Præpoſiti ſigillo firmata fuerint, eamdem omnino vim habent, tam in judicio, quàm extra, ac ſi plumbeo ſigillo obſignata eſſent. Habetur per Bullam Julii II. dat. 24. Sept. 1508. Incipit: *Nihil eſt, quod ſæpius*; eſt 22. in Bull. Regul. in n. 2. & refertur in Compendio Minorum V. *Generalis Ordinis* §. 16. & V. *Privilegia Fratrum*. §. 19.

§. 9.

Eligere Superiores eſt Generalis.

Electio Superiorum tam Provincialium & Viſitatorum, quàm quorumcumque localium

calium, eſt penès Præpoſitum Generalem. Gregorius XIV. in Conſtit. pag. 97.

§. 10.

Graduum conferre.

Graduum diſcretio, & officiorum diſtinctio, eſt in manu Generalis. Idem pag. 98.

§. 11.

Auctoritas, &c. Generali conſervatur.

Omnis auctoritas, omnéſque facultates, per dictæ Societatis Conſtitutiones, & Apoſtolica diplomata Generali conceſſæ, inviolatæ conſerventur. Idem ibid.

§. 12.

Facultas corrigendi, &c.

Omnes facultates, ad correctionem & punitionem aliis Ordinibus conceſſæ, Societati, ejúſque Præpoſito conceduntur. Idem ibid.

§. 13.

Perpetuitas, &c Generalis.

Perpetuitas Generalis, & electio ad vitam, ejúſque in Urbe ordinaria reſidentia, & ſub uno capite omnium nationum collectio, confirmantur & approbantur. Paulus V. pag. 107.

Vide verbo *Benedicere.* verbo *Communicatio gratiarum.* §. 4. verbo *Notarius.*

verbo *Collegia.* & alibi ſæpe in hoc Compendio.

GRADUS.

§. 1.

Facultas promovendi ad gradus in Univerſitatibus.

Scholares Collegiorum Societatis exiſtentium in Univerſitatibus alicujus Studii generalis degentes, ſi prævio rigoroſo & publico examine, in eiſdem Univerſitatibus reperti fuerint idonei, & Rectores Univerſitatum eos gratìs promovere recuſaverint; in prædictis Collegiis à Præpoſito Generali, vel de ejus licentia à quovis ex inferioribus Præpoſitis, vel Rectoribus hujuſmodi Collegiorum, cum duobus vel tribus Doctoribus ſeu Magiſtris, per eoſdem eligendis, promoveri poſſunt ad Baccalaureatûs, & Magiſterii, Licentiaturæ, ac Doctoratûs gradus. Julius III. p. 22.

§. 2.

Facultas promovendi extra Univerſitates.

Iidem Scholares Collegiorum exiſtentium

tium extra Univerſitates, abſoluto ſuorum ſtudiorum curſu, & rigoroſo examine præcedente, à Præpoſito Generali, vel de ejus licentia à quovis ex Præpoſitis vel Rectoribus hujuſmodi Collegiorum, cum duobus vel tribus Doctoribus vel Magiſtris per eoſdem eligendis ad prædictos gradus poſſunt promoveri. Julius III. ùt ſuprà.

Nomine Scholarium in iis duobus §§. intelliguntur Scholares, qui ſunt de Societate.

§. 3.

Quinam ex externis promovendi.

Præpoſitus Generalis, per ſe, vel aliquem ex Præpoſitis, vel Rectoribus Collegiorum noſtrorum, tam in Univerſitatibus ſtudiorum generalium, quàm extra illas exiſtentium, in quibus ordinariè ſtudiorum Artium liberalium & Theologiæ lectiones habebuntur, curſúſque Ordinarii peragentur, Noſtræ Societatis Scholares, & pauperes externos, qui dictas lectiones frequentaverint, & etiam divites, ſi Univerſitatum Officiales eos promovere recuſaverint, cùm per examinatores Noſtræ Societatis idonei ſunt inventi (ſolutis tamen per divites ſuis juribus Univerſitatibus) in Noſtris Collegiis quarumcumque Univerſitatum, & in aliis extra Univerſitates conſiſtentibus, quoſlibet alios Scholares, qui ſub eorumdem Colle-

giorum obedientia, directione, vel diſciplina ſtuduerint, ad prædictos gradus, ac aliàs in reliquis, juxta tenorem litterarum Julii III. promovere poſſunt. Pius IV. pag. 27.

§. 4.

Poſſunt promoveri per Præfectum.

Poteſt Præpoſitus Generalis prædictos gradus, prout dictum eſt, conferre per Præfectum ſtudiorum cujuſlibet Collegii Societatis, in quo Artium vel Theologiæ facultates pro tempore legentur. Gregorius XIII. pag. 61.

§. 5.

Gaudent privilegiis, &c.

Quicumque per Noſtros modo prædicto ad gradus promoventur, gaudere poſſunt omnibus privilegiis & prærogativis, quibus gaudent, qui in Univerſitatibus, rigoroſo examine prævio, ac aliàs juxta inibi obſervari ſolitos & requiſitos uſus, promoventur. Julius III. ac Pius IV. pag. 22. & 27.

§. 6.

Gradûs judicium, &c. Generali reſervatur.

Graduum diſcretio & judicium, atque Coadjutorum, tam ſpiritualium quàm temporalium, ſimúlque Profeſſorum promotio,

tio, juxta Conſtitutiones, in manu Præpoſiti Generalis eſt. Gregorius XIV, conſtit. pag. 98.

§. 7.

Tempus promotionis.

Tempus promotionis ad hujuſmodi gradus, nullo modo certum, ſeu determinatum eſſe oportebit. Gregorius XIV. conſtit. pag. 98.

§. 8.

Qui ad gradum admittendi.

Selecti tantùm ſpiritûs & doctrinæ viri, & multùm diúque exercitati, ac in variis probationibus virtutis & abnegationis ipſorum, cum omnium ædificatione & ſatisfactione ſatis cogniti, admittendi ſunt ad gradum Profeſſorum, & non niſi cùm Societati, vel ejus Generali fuerit ab eis plenè in Domino ſatisfactum. Gregorius XIV, conſtit. pag. 98,

§. 9.

Mutatio gradûs prohibita.

Ad Profeſſionem, & cujuſcumque gradûs mutationem, nemini aſpirare licet. Gregorius XIV. conſtit. p. 98.

Facultates promovendi, de quibus in ſuperioribus §§. quoad Noſtros reſervantur Præpoſito Generali; quoad externos verò conceduntur Provincialibus, per ſe, vel per Rectores,

aut ſtudiorum Præfectos exercendæ. Nam Rectoribus & Cancellariis Univerſitatum quoad externos manet ſua facultas.

Vide verbo *Scholæ*. §. 3.

GRATIARUM USUS.

§. 1.

Ubiqueg audemus privilegiis, &c.

POſſe Præpoſitum Generalem, & Societatem, ubique locorum, juxta Noſtri Inſtituti rationem, Conſtitutiones, ad modum procedendi proprium, peculiaréſque obſervationes & conſvetudines, uti, frui, & gaudere omnibus facultatibus, & privilegiis, aliíſque gratiis, ſibi, ſeu Domibus, Collegiis, locíſque Noſtris, communiter vel diviſim, vigore quarumcumque facultatum, etiam ad inſtar, aut æquè principaliter, etiam per communicationem, ſeu aliàs quomodolibet conceſſis, decrevit, & conceſſit Gregorius XIII. pag. 45.

Vide verbo *Abſolutio*. §. 11.

§. 2.

Per

Per Bullam Cruciatæ & Iubilæi non derogatur privilegiis & regulis.

Gregorius XIII. die 29. Octobris 1584. Vivæ vocis oraculo declaravit, mentis ſuæ non eſſe, ut per Bullas Cruciatæ, aut Iubilæorum, vel alias ſimiles conceſſiones, ſub quacumque derogatione aut tenore, etiamſi in eis dicatur, quacumque prohibitione ſublatâ, vel etiam Vivæ voc. orac. Pœnitentiariis S. Petri, aut quibuſvis aliis hactenus factas, vel in poſterum faciendas, cenſeatur derogatum privilegiis, regulis, aut ordinationibus Societatis, præcipuè verò indulto illi per eumdem Gregorium XIII. die 3. Maji 1575. conceſſo, ſcilicet nè perſonis Societatis, abſque expreſsa Superiorum eorumdem licentia, uti liceat facultatibus in Iubilæis, Bullis Cruciatæ, Confeſſionalibus, aut aliis quibuſvis Apoſtolicis indultis, quomodocumque hactenus conceſſis, & impoſterum concedendis. Declaravit præterea, poſſe Superiorem, dum hujuſmodi licentiam concedit, limitare eam ad uſum unius aut alterius facultatis, & prohibere uſum reliquarum, etiam eadem Bullâ aut indulto contentarum. In Vivæ voc. oracul. fol. 134.

HABITUS.

Qualis habitus Societatis.

SAcerdotes Societatis, quod ad habitum pertinet, honeſtorum Sacerdotum communem, & approbatum uſum ſequentur. Iulius III. pag. 20.

HÆRETICI.

Facultas in terris hæreticorum, &c. commorandi.

POſſunt Noſtri in excommunicatorum, & hæreticorum vel ſchiſmaticorum, ſeu infidelium terris liberè commorari, & cum eiſdem converſari (de licentia tamen Præpoſiti Generalis) & ab eis tunc, etiam quando per ipſas illos tranſire contigerit, neceſſaria vitæ depoſcere ac recipere. Paulus III. pag. 12.

Omnes hoc privilegio uti poterunt.

Vide quæ habentur verbo *Abſolutio* §. 3. & 4. adjunctis iis, quæ ad verbum *Bulla Cœnæ* dicuntur. Vide etiam & quæ habentur verbo *Inquiſitor hæreticæ pravitatis.*

HOMI-

HOMICIDIUM.

Vide verbo *Diſpenſatio.*

HORÆ CANONICÆ.

§. 1.

Facultas poſtponendi Officium Miſſæ.

POſſunt Noſtri, ex facultate Præpoſiti Generalis, aut ejus, quem ipſe ad id ſubſtituerit, ſinè ſcrupulo Officium Divinum Miſſæ poſtponere juſtis de cauſis, ſuper quo conſcientia licentiam impertientis oneratur. Iulius III. p. 22.

Vide V. *Officia.* §. 2.

§. 2.

Quando tempus Officii præveniri poſſit.

Ratione itineris, aut alterius occupationis, quando creditur, quòd majori cum devotione dicetur Divinum Officium, poteſt illud à Noſtris recitari manè totum uſque ad Completorium incluſivè. Habetur ex Bulla Clem. VII. pro Clericis Regularibus data 7. Martii. 1533. Incipit: *Dudum pro parte veſtra*: eſt 38. in Bull.

comm.

comm. in §. 2. & V. V. O. Pii V. pro Minoribus: inter oracula hujus Pontificis in Bull. Regul. in n. 2. & 17.

§. 3.

Ante ſolis occaſum.

Poteſt à Noſtris abſque ullo ſcrupulo matutinum Officium ante ſolis occaſum recitari. Habetur ex documentis, proximè citatis.

§. 4.

Defectus quomodo ſupplendi.

Quando aliquid Divini Officii (non tamen ex dolo) omittitur, poſſunt Noſtri illud ſupplere dicendo pſalmum aliquem, aut orationem Dominicam, aut Salutationem Angelicam. Innocent: VIII. Minor. V. V. O. Habetur inter V. V. Oracula hujus Pont. in Bull. Regul. n. 5. & in Comp. Minor. V. *Officium Divinum.* 2. in n. 3. ubi aſſeritur, Alexandri VI. Oraculo confirmatum.

§. 5.

Quomodo defectus ſupplendi in horis recitandis.

Noſtri in foro conſcientiæ dicendo Horas & alia Officia Divina, ſatisfaciunt præcepto cap. D*olentes.* de celebrat. Miſſ. de dicendo ſtudiosè pariter & devotè, etiamſi propter aliquam fatigationem, vel aliam

aliam cauſam dicant ſedendo, aut deambulando, vel non integre proferendo verba, prout ſunt ſcripta, propter negligentiam, aut imperitiam, vel malam prolationem naturalem, propter defectum linguæ; ſeu aliàs qualitercumque ore imperfecto dicant, aut cum mentis diſtractione, & ſenſuum vagatione, dum tamen non ex malitia hoc faciant. Et quòd qui cum talibus malè proferentibus, vel alios ſupradictos defectus facientibus, dicunt Officium, non teneantur recitare ab aliis imperfectè dicta, aut ab eis non integre audita propter diſtantiam localem, vel ſtrepitum, ſeu aliam cauſam: ſed ſatisfaciant præcepto Eccleſiæ qualitercumque audiendo, quæ alii debent dicere. Conceſſit Leo X. Minor. V. V. O. quod litteris æquivalere voluit Pontifex: ùt ex Bull. Reg. inter Oracula hujus Pontificis in n. 8.

§. 6.

Non tenentur in choro recitare.

Non tenentur Noſtri dicere horas Canonicas in choro. Paulus III. Julius III. & Gregorius XIII. pag. 3. 19. & 43.

Quam Indulgentiam conſequantur Noſtri recitantes divinum Officium ex libro, Vide infrà verbo *Indulgentiæ.* §. 18. Vide etiam, quæ habentur verbo *Interdictum.* §. 7. & verbo *Infirmi.*

JEJU-

JEJUNIUM.

§. 1.

Ientaculum matutinum.

POſſunt Noſtri, per facultatem factam omnibus de Congregatione S. Juſtinæ de Padua, dum in Quadrageſima, & Vigiliis, quæ jejunantur de præcepto, equitando iter faciunt, ſumere manè aliquid per modum conſvetæ collationis, & veſperi cœnare. Sixtus IV. V. V. O. ùt in impreſſis fol. 123. pag. 1.

§. 2.

Anticipatio horæ Jejunii.

Per facultates Minorum, poſſunt Noſtri ſinè violatione jejunii, maximè Concionatores, cùm actu concionantur, juxta ſuam conſolationem anticipare, vel poſtponere horam comeſtionis, & ſerotinæ collationis. Conceſſit Leo X. V. V. O. Habetur inter Oracula hujus Pontif. in Bull. Regul. in n. 57. & in Comp. Minorum V. *Jejunium.* §. 5.

Hanc facultatem ex cauſa communicare poterunt omnes Superiores.

Vide verbo *Diſpenſatio.*

IMMUNITAS.

§. 1.

§. 1.

Confugientes ad Noſtras Eccleſias non poſſunt capi.

Confugientibus ad Noſtras Eccleſias, manus violentæ injici prohibentur à quocumque, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ. Conceſſit Clemens VII. Ordini S. Joannis Hieroſolymitani, & litteræ ſunt inſertæ & confirmatæ à Pio IV. Habetur per Bullam, dat. 1. Jul. 1560. Incipit: *Circumſpecta*: eſt 9. in Bull. comm.

§. 2.

Nomine Eccleſiarum veniunt etiam Domus, &c.

Fugientes ad Noſtras Eccleſias ſecuritate gaudent: apellatione autem Eccleſiarum veniunt Domus Noſtræ, ſeu Collegia Societatis, cum hortis, hortalitiis, clauſtris, officinis, & locis omnibus infra illarum ambitum incluſis. Conceſſit Innocentius VIII. Servitis, ſub Datum Romæ apud S. Petrum Anno 1487. VI. Kal. Junii, Pontificatûs ſui anno 3. ùt in *Mari Magno* Servitarum n. 57.

Vide verbo *Communicatio gratiarum*. §. 2. & quod habetur verbo *Eccleſia*. §. 5.

IMPETRARE.

Vide loca, quæ citantur infrà verbo, *Indulta.*

INCARCERARE.

Vide verbo *Correctio.* §. 2. & verbo *Exemtio.* §. 12. & verbo *Apoſtata.* §. 5.

INDULGENTIÆ.

Notandum, Paulum V. Bullâ, datâ 23. *Maji* 1606. *revocâſſe omnes Indulgentias, uſque ad illam diem conceſſas omnibus Ordinibus, & Perſonis Regularibus, & alias peculiares conceſſiſſe, omnibus Religioſis communes: quæ* §. 33. *hujus Tituli apponentur.*

§. I.

Indulgentiæ Stationum Vrbis.

POſſunt Noſtri Indulgentias omnium Stationum Urbis eiſdem diebus in propria Eccleſia vel Domo conſequi, dum-

dummodo viſitent quinque altaria, vel in uno quinque Pſalmos, aut ſi neſciunt legere, alias Orationes dicant. Conceſſit Pius V. Vivæ voc. orac. 16. Februarii 1568. ùt in M. S. V. V. O. pag. 52.

§. 2.

Idem.

Eaſdem Stationum Indulgentias conſequuntur Noſtri viſitando aliquam Societatis Eccleſiam, vel aliam, in qua pro tempore ex Obedientia eſſe contigerit, ſi inibi ante illius altare majus quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam devotè dixerint, ùt conceſſum eſt Minimis à Julio II. per Bullam dat. 5. Kal. Aug. 1506. Incipit: *Dudum ad Sacrum*: eſt 10. in Bull. comm. in n. 11. & 32. & per conceſſionem factam Minoribus, & Prædicatoribus, ab Innocentio VIII. Eaſdem Indulgentias, & alias conceſſas, in Noſtris Eccleſiis conſeqvuntur Noſtri, qui per Obedientiam extra Domos & Collegia reperiuntur, dicendo quinquies *Pater noſter*, *&* *Ave*, in quacumque Eccleſia & loco ea dixerint pro intentione, & propoſito illius Indulgentiæ. Similiter infirmi eadem recitando in valetudinariis, & cellis, ac etiam lectulis, quando commodè aliter non poſſunt. Habetur inter Orac. hujus Pontif. in Bull. Reg. n. 13.

Et

Et generaliter quando aliquâ neceſſitate vel infirmate eſſent præpediti, vel in itinere conſtituti, ità quòd Eccleſias pro conſequendis Indulgentiis, & aliis gratiis Societati conceſſis adire non poſſunt, illas conſequentur, dicendo dumtaxat illud, quod in Eccleſia dicturi erant. Habetur in Summariò Privilegiorum S. Juſtinæ in privilegiis impreſſis fol. 171. p. 2. Creditur fuiſſe V. V. O.

§. 3.

Quomodo conſequi poſſimus Indulgentias Urbis, &c.

Quicumque Noſtrorum quinquies *Pater*, & *Ave*, cum *Gloria Patri* ad finem cujuſlibet, pro felici ſtatu Sanctæ Matris Eccleſiæ, & ſemel *Pater*, & *Ave*, pro intentione concedentis, cum *Gloria Patri* ſimiliter ad finem dixerit, quacumque horâ diei, vel noctis, & quocumque loco dicantur, ſcilicet choro, Eccleſiâ, Clauſtro, Oratorio, ac Cellà, conſequentur Indulgentias tam Urbis, quàm Hieruſalem, & S. Jacobi in Compoſtella, ac quam conſequuntur viſitantes ſecundâ die Auguſti Eccleſiam S. Mariæ Portiunculæ, ſive de Angelis in Aſſiſio. Leo x. Minor. Habetur in Bull. Regul. inter Oracula hujus Pontificis, munitum teſtimonio Card. SS. Quatuor Coronatorum. n. 24.

§. 4.

Plenaria pro ingreſſu, &c.

Omnes perſonæ, quæ recipiuntur in Societatem, in earum ingreſſu, & morte, Plenariam omnium ſuorum peccatorum veniam & Indulgentiam conſequuntur. Julius II. Minimis, per Bullam: Incipit: *Dudum ad Sacrum*, quæ ſuprà §. 2. & Paulus V. in Bulla, citanda in fine hujus Tituli; ſed ſub conditione præmiſſæ Confeſſionis, & Communionis.

§. 5.

Plenariæ diebus Dominicis, & Feſtis B. Virginis.

Sacerdotes Noſtri, qui Dominicis diebus, aut in ſolemnitatibus Domini, aut B. Mariæ celebrant; itèm & Noſtri omnes, quando communicant, Indulgentiam plenariam conſequuntur. Innocentius VIII. Habetur inter Oracula hujus Pontif. in Bull. Regul. in n. 4. & pro Monialibus S. Claræ, quoties communicant. Conceſſit Leo X. per Bullam dat. 29. Mart. 1515. Incipit: *Cùm ſicut nobis.* eſt 46. in eodem Bull. in n. 2.

§. 6.

Indulgentia pro Corona D. N.

Toties quoties Noſtri Coronam Domini IEſu, quæ dicitur continere 33. *Pater noſter,*

noſter, & totidem *Ave Maria*; & Coronam B. Mariæ Virg. 63. *Ave Maria*, & de decem in decem unum *Pater noſter*, dixerint; Plenariam Indulgentiam conſequuntur. Infirmi verò, ac ſenes in decrepita ætate conſtituti, eamdem lucrabuntur dicendo unum Pſalmum, vel Hymnum Virginis, vel Domini Noſtri. Conceſſit Julius II. Habetur inter Oracula hujus Pontif. in Bull. Regul in. n. 12. & 14. & Leo x. per Bullam Sororibus B. M. & S. Claræ, dat. 19. Iunii, 1515. Incipit: *Dum præcelſa*: eſt 20. in eodem Bull. & V. V. O. ùt ibid. Or. 25.

§. 7.

Supradicta Indulgentia per modum ſuffragii.

Prædictæ Indulgentiæ de Corona Domini Salvatoris, & B. Virginis, & ſimiles conceſſæ per Leonem x. uſque ad quartum ſui Pontificatûs annum die 3. Februarii, ejúſque Prædeceſſores, poſſunt per Noſtros animabus Defunctorum per modum ſuffragii applicari. Conceſſit idem Leo x. vivæ voc. orac. ùt in §. proximè ſuperiori: inter Orac. hujus Pont. ſed in n. 77.

§. 8.

Plenaria pro Cantico graduum.

Dicen-

Dicentes Canticum Graduum, Indulgentiam plenariam conſequuntur. Leo x. Minor. S. Claræ, vivæ voc. orac. ùt in Comp. Minor. verbo *Indulgentia plenaria quoad Fratres.* §. 19.

§. 9.

Plenaria pro venientibus ad Congregationem generalem.

Poſſunt Noſtri Confeſſarii iis qui ad generalem Congregationem veniunt; vel tunc, vel infra 20. dies ſequentes, Plenariã Indulgentiam impertiri. Sixtus IV. Ciſtercienſ. Per Pontificis ſignaturam publicè authenticatam à Card. Portuenſi: & eſt inter Bullas hujus Pont. 46. in Bull. Regul.

Vide etiam infrà §. 19.

§. 10.

Plenaria in viſitatione Collegiorum, &c.

Omnes Provinciales, peractâ viſitatione ordinariâ in Domibus, & Collegiis ſuæ Provinciæ, habent facultatem concedendi Indulgentiam plenariam omnibus cujuſlibet domûs, ſeu Collegii ſic viſitati. Conceſſit Leo x. Minor. vivæ voc. orac. Habetur inter Oracula hujus Pont. n. 59. in Bull. Regul. Et iterum vivæ voc. orac. ſed non revocato, utpote emanato 8. Febr. 1639. Urban. VIII. conceſſit pro Noſtræ

Societatis Provincialibus, ùt teſtaturCardin. de Lugo in M. S. Et hoc ipſum poſſunt Viſitatores finitâ Viſitatione, ùt infrà V. *Viſitatores.*

§. II.

Poſſunt in Noſtris Eccleſiis lucrari plenarias & non plenarias Romæ.

Omnes Indulgentias plenarias, & non plenarias, quæ ſunt Romæ in ſingulis Eccleſiis, quocumque tempore & die, eodem tempore & die poſſunt Noſtri in noſtris Eccleſiis lucrari. Sixtus IV. Minor. V. V. O. ùt in Comp. Min. V. *Indulgentiæ Stationum quò ad Fratres.* n. 7. & Paul. V. pag. 5 . omnibus Regularibus in Conſt. quæ Incipit: *Romanus Pontifex.* §. 7: eſt. 21. in Bull. comm. Et per litteras Gregorii XIII. Nobis conceſſas, Noſtri in qualibet mundi parte exiſtentes, ante altare ſanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti in Noſtris Eccleſiis orationes ad Deum fundendo, pro Sanctæ Eccleſiæ Romanæ exaltatione, hæreſum exſtirpatione, & inter Principes Chriſtianos fovenda pace, aut alias pro cujuſcumque peculiari devotione, conſequuntur omnes Indulgentias, etiam plenarias, & peccatorum remiſſiones, quas conſequerentur, ſi Indulgentiarum ipſarum diebus Eccleſias, & loca pia his decorata in locis, in quibus Noſtros moram trahere con-

re continget, viſitarent. Gregorius XIII. pag. 64.

§. 12.

Pro viſitantibus Eccleſias Noſtras.

Per conceſſionem verò Leonis X. omnes Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Domos, Eccleſias, & Oratoria Mendicantium, ſunt conceſſæ ſimiliter Nobis viſitantibus Noſtras Eccleſias, Domos, vel Oratoria, perinde ac ſi cuilibet Eccleſiarum Noſtrarum, Domuum, & Oratoriorum ubilibet conſiſtentium conceſſæ fuiſſent. Habetur per Bullam, datam 2. Decembris, 1515. Incipit: *Dum per nos*: eſt 30. in Bull. Regular. Et ſimiliter Noſtri viſitando Eccleſias Noſtras, conſequi poſſunt eodem modo Indulgentias, quas tunc conſequerentur, ſi viſitarent quaſvis Eccleſias aliorum Ordinum, etiam non Mendicantium, & Confraternitatum, & aliorum piorum locorum, juxta communicationem, quam habemus, de qua ſuprà verbo *Communicatio gratiarum*. §. 3.

Excipi tamen debent ab his, quæ hoc §. continentur, Indulgentiæ conceſſæ pro feſtivitatibus Sanctorum cujuſvis prædictorum Ordinum, aut Congregationum, &c. Pari ratione juxta ea, quæ dicuntur à Collectore in Compend. Minor. Verbo Interdictum. *2. Conceſſ.* 10.

§. 13.

Indulg. plenaria pro Miſerere.

Dicentes unum *Miſerere* , Indulgentiam plenariam conſequuntur. Conceſſit Sixtus IV. ùt eſt in Privilegiis Canonicorum Regular. Lateranens. & habetur in manuſcript. fol. 50. pag. 2. in fine. Dicentes autem unum *Miſerere* in quolibet altari, conſequuntur Indulgentias Urbis, illius diei. Conceſſum eiſdem , ùt habetur in d. p.

Neutrum invenitur per litteras conceſſum.

§. 14.

Indulg. plen. dicentibus Miſsâ Concept. B. V.

Noſtri qui dicunt Miſſam Conceptionis B. Virginis, vel audiunt illam, ac intendunt orare pro Leone X. qui id conceſſit, & pro univerſali Eccleſia , Indulgentiam plenariam conſequuntur. Habetur vivæ voc. orac. ùt in Comp. Min. V. *Indulgentia plenaria quò ad Fratres* §. 17. 18.

§. 15.

Indulgentia pleniſſima pro Noſtris in mortis articulo.

In mortis articulo Confeſſarius Societatis poteſt Noſtris pleniſſimam Indulgentiam impertiri, & reſervatur vero articulo mortis.

mortis. Conceſſit Sixtus IV. Ciſtercien. per Bullam, dat. Idibus Dec. 1465. Incipit: *Sacroſanctæ Religionis*: & eſt 45. ejuſd. in Bull. Reg. ubi Pontifex noluit hanc remiſſionem prodeſſe quò ad ea, quæ ex ejus confidentia commiſſa fuerint. Sed, nullâ adjectâ limitatione, ab eodem Pontifice idem conceſſum eſt Confratribus S. Spiritûs in Saxia per Bullam, dat 12. Kal. April. 1477. Incipit: *Illius qui pro Dominici*: eſt 14. in Bull. comm. §. 8.

§. 16.

Indulg. plenar. pro Noſtris in mortis articulo nomen IEſu nominantibus.

Quicumque ex Noſtris pœnitens & contritus nomen JESU in mortis articulo nominaverit, plenariam omnium peccatorum ſuorum, etiam de quibus, niſi morte præveniretur, confiteretur, Indulgentiam conſequitur. Conceſſum eſt à Leone X. Confraternitati Charitatis de Urbe per Bullam, datam 5. Kal. Febr. 1520. Incipit: *Illius, qui Charitas eſt*: & eſt 37. in Bull. comm. §. 5. Itèm à Pio IV. Fratribus & Militibus S. Lazari Hieroſolymitanis per Bullam, dat. 4. non. Maji. 1505. Incipit: *Inter aſſiduas*: eſt 95. in eodem Bull. §. 143.

§. 17.

Noſtri recitantes Pſal. Miſerere, &c. Indul. totius Orbis conſequuntur.

Noſtri dicentes in Eccleſia ſingulis diebus in perpetuum Pſalmum *Miſerere* cum Oratione pro Pontifice, ſcilicet, *Deus omnium fidelium Paſtor, &c.* Vel *Omnipotens ſempiterne Deus*, &c. lucrantur omnes, & ſingulas Indulgentias, quæ ſunt conceſſæ Eccleſiis & locis totius Orbis. Conceſſit Julius II. perſonis Congregationis Lateranenſis, An: 1506. 1. Jul. in manuſcript. fol. 50. pag. 2.

§. 18.

Recitanti Officium per librum, Indulg.

Qui ſolverint Officium Divinum per librum, conſeqvuntur remiſſionem dimidiæ partis peccatorũ commiſſorum illâ die, quâ prædictum ſolvunt Officium. Conceſſit Leo X. Minor. ùt in Supplemen. fol. 94. pag. 1. conceſſ. 294.

§. 19.

Euntium ad Congreg. gener. Indulg.

Euntibus per Obedientiam ad Congregationem generalem, conceditur Indulgentia unius anni, & 40. dierum. Euntibus autem ad Congregationem Provincialem, centum dierum. Conceſſit Alexander IV. per litteras non authenticatas: ùt habetur in Comp. Minor. V. *Indulgentiæ Plenariæ* quoad Fratres. §. 1.

§. 20.

§. 20.

Flectentium genua in verſu Te ergo *Indulg.*

Cùm cantatur in Matutino *Te Deum Laudamus*, flectentes genua in verſiculo, *Te ergo quæſumus*, &c. tres quarantenas. Et ad *Gratias agamus*, in Præfatione, centum dies Indulgentiæ conſequimur: ſufficit tamen Sacerdotibus, ſi in Miſſa ad *Gratias agamus*, ſe inclinent. Conceſſum Carthuſianis Oraculo, non authenticato, à Benedicto XII. ùt in Comp. Minor. V. *Indulgentiæ non Plenariæ* n. 14. Sed & per litteras fuiſſe conceſſum, habetur ex Libro Privilegiorum ejus Ordinis, impreſſo Baſileæ. A. 1510. fol 32. Bullâ 106.

§. 21.

Indulg. liberandi animam à Purgat.

Sabbato in Ramis Palmarum, poſſumus liberare unam animam à Purgatorio, dicendo Pſalmos pœnitentiales, vel quinquies *Pater noſter*, & *Ave Maria*, ante Sacramentum Altaris; & pro Papa Leone X. qui id conceſſit, unam Coronam B. Virginis. Idémque pariter poſſumus in die Feſto S. Joannis Evangeliſtæ, & die ejuſdem ante portam Latinã. Conceſſum eſt Minoribus, ab eodem Pontifice, Oraculo authenticato: ùt in Bull. Regul. inter Oracula ejus Pont. n. 28. 29.

§. 22.

Indulg. pro Noſtris orantibus pro exiſtentibus in peccato mortali.

Tam Noſtri, quàm quilibet alii Chriſti fideles, dicentes 15. *Pater & Ave*, pro exiſtentibus in peccato mortali, toties quoties id fecerint, tertiæ partis peccatorum remiſſiones conſequuntur. Conceſſum eſt Minoribus à Leone x. Oraculo authenticato; ùt in Bull. Regul. inter ejus Oracula. n. 75.

§. 23.

Indulg. plen. pro viſitantibus Noſtras Eccleſias.

Omnes Chriſti fideles, qui verè pœnitentes, & confeſſi, ac communicati, in die Circumciſionis, vel alio, per Præpoſitum Generalem, ſeu per Superiorem loci viſitandi, ſemel pro ſemper nominando, aliquam Eccleſiam, ſeu Capellam, aut pium locum Societatis, ubicumque Noſtros habitare contigerit, (dummodo, ſi ſint plures Eccleſiæ Societatis in eadem civitate, terra, aut loco, una tantùm ad id per Præpoſitum Generalem ſtatuatur, annis ſingulis, præterquam Jubilæi, à primis Veſperis uſque ad occaſum Solis ejuſdem diei, devotè viſitaterint, & ibi quinquies orationem Dominicam, & totidem ſalutationem Angelicam recitaverint, vel alias ad De-

ad Deum orationes pro Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, fideíque Catholicæ incremento effuderint, plenariam Indulgentiam in forma Jubilæi conſequentur. Gregorius XIII. pag 61. adjunctis litteris Pauli III. pag. 14.

In electione autem locorum præferatur ſemper Eccleſia Domûs Profeſſæ.

§. 24.

Indulg. pro viſitatibus Eccleſias Noſtras in die Circumciſionis, &c.

Quicnmque Chriſti fideles, qui verè pœnitentes, & confeſſi, aut propoſitum temporibus à jure ſtatutis confitendi habentes, Eccleſias, & alia pia loca Societatis, in diebus Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Corporis Chriſti, nec non diebus Veneris, & Dominicis totius anni, ac Quadrageſimalibus, uſque ad Octavam Paſchæ viſitaverint, & inibi ſemel *Pater* & *Ave* recitaverint, & verbum Dei, ſi in illis prædicetur, devotè audierint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis conſequentur. Paulus III. pag. 14.

§. 25.

Indulg. plen. ſemel in vita, &c.

Omnes Chriſti fideles, qui confeſſi, & corde contriti fuerint, aut confitendi firmum propoſitum habuerint, ac in honorem & devotionem Paſſionis Chriſti preces

devotè effuderint, & poſtea idoneo alicui Societatis Presbytero, aut Societati, Præpoſitóve Generali Obedientiam præſtanti confitentur, plenariam Indulgentiam ſemel in vita conſequuntur, in forma Eccleſiæ conſveta. Paulus III. Conceſſit ad iuſtantiam S. Franciſci Borgiæ, tunc Ducis Gandiæ 4. non. Jan. 1547. & fuit authenticatum à Cardinali Durante: ùt conſtat ex lib. M. S. Oraculorum pag 6. 7.

§. 26.

Indulgentiæ pro quotidie viſitantibus Eccleſias Noſtras.

Quolibet anni die, viſitans Eccleſias Noſtras, conſequitur annum, & 244. dies; & qualibet die Quadrageſimæ, conſequitur annos quatuor, dies 236. Indulgentiæ. Habetur per Bullas, non authenticatas, ùt in Comp. Min. V. *Indulgentiæ quò ad ſeculares.* 2. n. 1. 2. 3. & quò ad ſeculares 3. n. 1.

§. 27.

Indulg. pro audientibus conciones Noſtrorum.

Venientibus communiter ad Sermones annuales audiendos ad loca Noſtra, conceduntur ſimiliter anni tres, & dies duo indulgentiarum. Habetur in Supplem. Minor. fol. 3. conceſſ. 491. Et per conceſſionem Minoribus factam, conceduntur

duntur iis, qui audiunt Prædicationes Noſtrorum, anni quindecim Indulgentiarum. Habetur plurium Pontificum Bullis, non authenticatis, pro FF. Prædicatoribus: ùt in Comp. Min. V. *Indulgentiæ quò ad ſeculares* 5. n. 6. & Gregorii IX. Indulto ſimili pro Minorib. ùt ibid. n. 1.

§. 28.

Indulg. plen. pro parentibus Noſtrorum.

Patres & matres eorum, qui ſunt de Societate, præſentiū & futurorum, etiam defunctorum, in Purgatorio exiſtentes, Indulgentiam plenariam conſequuntur. Conceſſit Calixtus III. Minoribus vivæ voc. orac. die 26. Apr. 1457. ùt in Bull. Regul. inter ejus Oracula n. 2.

§. 29.

Indulg. pro Procuratoribus Noſtris, &c.

Procuratores Noſtri, eorúmque Subſtituti, Liberi, Parentes, Fratres, Sorores, poſſunt promereri Indulgentias Stationum, & alias, Noſtris conceſſas, recitando in Noſtris Eccleſiis quinque *Pater Noſter*, & totidē *Ave Maria*, pro felici ſtatu S. Romanæ Eccleſiæ. Conceſſit Innoc. VIII. Minor. vivæ voc. orac. ùt habetur in Bull. Reg. inter ejus Orac. n. 14. Quibus etiā Indulgentiis gaudent Medici Ordinarii Noſtrorū ex conceſſione Alexandri VI. vivæ voc. orac ùt in Bull. Regul. inter Orac. ipſius. n. 7.

§. 30.

Indulg. plen. ſemel in vita pro Noſtris, & Fundatoribus, &c.

Noſtri de Societate, ac ejuſdem utriuſque ſexûs Tutores, & Fundatores, & Procuratores, ac eorum liberi, ſemel in vita, & in morte, plenariam omnium peccatorum veniam, & indulgentiam conſequuntur. Conceſſum eſt Minimis, per Bullam Jul. II. dat. 5. Kalend. Aug. 1506. Incipit: *Dudum ad Sacrum*: eſt 10. ejuſd. Pont. in Bull. comm.

Eadem Indulgentia pro Noſtris famulis. Vide V. *Familiares*, §. 4.

§. 31.

Indulgentiæ pro viſitantibus Eccleſias Noſtras.

Gregorius XIII. die 17. Martii 1576. conceſſit vivæ voc. orac: Noſtræ Societati, atque Externis Scholaſticis, qui Noſtras Scholas frequentare ſolent, Indulgentias omnes, quæ conceduntur cunctis diebus totius anni, viſitantibus Romanas Eccleſias, ſi Sacellum, vel Eccleſiam Societatis viſitaverint, & quinquies Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ante altare majus; ante quatuor autem altaria recitaverint ſemel orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam. Quòd ſicubi tot altaria non fuerint; eaſdem

dem orationes novies ante ipſum altare majus recitabunt. Habetur in Lib. vivæ voc. oraculor. fol. 40. Et per conceſſionem Clem. VII. omnibus Chriſti Fidelibus Confratribus S. M. de Carmelo, Bullâ, dat. prid. Id. Aug. 1550. eſt 31. in Bull. comm. in §. 10. Noſtri, qui ſingulis Quadrageſimæ diebus, & aliis quibuſlibet Stationum Urbis Romæ, unam, vel duas Eccleſias, aut unum, vel duo Altaria, in partibus illis, ubi eos, vel ſingulos eorum habitare, vel quò declinare contigerit, viſitaverint, tot, ac ſimiles Indulgentias, vel remiſſiones peccatorum conſequuntur, quas conſequerentur, ſi easdem dictæ Urbis Eccleſias, pro Stationibus hujuſmodi deputatas, perſonaliter viſitarent.

§. 32.

Indulgentiæ pro moribundis Crucifixum alicujus Noſtri oſculantibus.

Quotieſcumque aliquis ex Noſtris particularem Crucifixi Imaginem, quam ſemel electam, niſi in eventum amiſſionis, mutare non poſſit, ad Chriſti Fidelem, in articulo mortis conſtitutum deferet; ſi hic verè pœnitens & confeſſus, & ſacrâ Communione refectus, vel, ſi id nequeat, contritus, nomen JESU ore, ſi potuerit; ſin minùs, corde devotè invocaverit, Imaginémque hujuſmodi, à Noſtro por-

rectam, oſculatus fuerit, ſeu tetigerit, plenariam Indulgentiam conſequitur. Alex. VII. pro Clericis Regular. Miniſtris Infirmorum, Brevi dato 25. Jan. 1656. Incipit: *Ut ſaluti.*

§. 33.

Indulgentiæ Regularium novæ, poſt antiquas revocatas.

Paulus V. Bullâ, datâ 23. Maji. 1606. Incipit: *Romanus Pontifex.* atque eſt 21. aliàs 16. in Bull. comm. poſt Revocationem Indulgentiarum, pridem Regularibus conceſſarum (de qua vide dicta ſuperiùs initio hujus tituli) infrà ſcriptas Indulgentias elargitur.

Dum Habitum regularem ſuſcipiunt.

1. Omnibus igitur Chriſti fidelibus, qui Canonicè, & juxta Ordines cujuslibet Religionis, & Conſtitutiones Apoſtolicas, habitum regularem à legitimis Superioribus, causâ profitendi, in illo ſuſceperint, die primo eorum ingreſsûs in ipſam Religionem, ſi verè pœnitentes & confeſſi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, Plenariam.

Dum Profeſſionem emittunt.

2. Ac cuilibet Novitio, qui pœnitens & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, poſt completum probationis annum,

num, Profeſſionem emiſerit, etiam Plenariam.

In Feſto principali ſui Ordinis.

3. Nec non cuilibet Religioſo intrà clauſtra ſui Monaſterii viventi, qui in feſto principali ſui Ordinis confeſſus, & Sacra Communione refectus fuerit, aut Miſſam recitans pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum exſtirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad DEū preces effuderit, etiam Plenariam.

In mortis articulo.

4. In cujuſlibet vero mortis articulo, ſi pariter verè pœnitens & confeſſus, ac Sacra Communione refectus, vel quatenus id facere nequiverit, ſaltèm contritus, nomen JESU ore, ſi potuerit, ſin autem, corde invocaverit, etiam Plenariam.

Dum Miſſam primam celebrant, vel ei interſunt.

5. Qui verò ad Presbyteratûs Ordinem Canonicè promotus, & confeſſus, primam Miſsam celebrabit, nec non etiam iis Religioſis, qui pariter confeſſi ac Sacra Communione refecti eidem Miſſæ interfuerint, aut ipſo die Miſſam ſimiliter celebrabunt, etiam Plenariam.

Spirituale Exercitium, de quo hìc, facientibus.

6. Iis

6. Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia, à negotiis per decem dies alieni, in cella commorabuntur, aut ab aliorum converſatione ſeparati, in piorum librorum, & aliarum rerum Spiritualium, animos ad devotionem, & Spiritum inducentium lectionibus operam ſuam dederint, addendo ſæpe conſiderationes, & Meditationes myſteriorum fidei Catholicæ, Divinorum beneficiorum, quatuor Noviſſimorum, Paſſionis Domini Noſtri Jesu Chriſti, & aliorum Exercitiorum, Orationum jaculatoriarum, aut vocalium, ſaltèm per duas horas in diem & noctem orationibus mentalibus ſeſe exercendo, faciendo eodem tempore Confeſſionem generalem, aut annualem, vel ordinariam; Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, aut Miſſam celebraverint; quoties pro quolibet prædictorum Exercitiorum, Plenariam ſimiliter peccatorum ſuorum Indulgentiam & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus.

Clauſtralibus eorum Eccleſias viſitantibus.

7. Præterea iidem Religioſi intrà clauſtra viventes, qui ſuam Eccleſiam devotè viſitaverint, & ùt præfertur oraverint, conſequantur eaſdem Indulgentias, quas viſitantes Eccleſias Urbis, & extra eam, diebus

bus Stationum conſequuntur, in omnibus diebus perinde, ac ſi ipſas Urbis Eccleſias perſonaliter viſitarent.

Aliíſque diebus orantibus.

8. Omnibus itèm Religioſis intrà clauſtra ùt ſuprà viventibus, qui quinquies orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante Altare eorũ Eccleſiæ, in quolibet die quinque Annos, & totidem quadragenas.

Prædicatoribúſque, Lectoribus, &c.

9. Iis verò, qui de ſuorum Superiorum licentia in itinere exiſtentes, aut extra clauſtra degentes tanquam Prædicatores, & Lectores, quinquies eandem Orationem Dominicam, & toties Salutationem Angelicam ante quodlibet Altare ſimiliter dixerint, etiam quinque Annos, & totidem quadragenas.

Orationem mentalem facientibus.

10. Nec non etiam eiſdem Religioſis, qui per menſem integrum ſingulis diebus ſpatio mediæ horæ, orationem mentalem fecerint, ac confeſſi & ſacra Communione ultimâ Dominicâ menſis hujuſmodi refecti fuerint, ſexaginta Annos, & totidem quadragenas.

Culpas proprias in Capitulis accuſantibus.

11. Qui verò contrito corde, & pœnitentes,

tentes, eorum culpas, & peccata, ac imperfectiones, in Capitulis Culparum accuſabunt, & Spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient; tres Annos, & totidem quadragenas.

Miſſiones ad terras Infidelium &c. acceptantibus.

12. Quotieſcumque autem de licentia ſummi Pontificis, aut ſuorum Superiorum, in ditiones, & terras Infidelium, aut hæreticorum, ad concionandum, aut Catholicos docendum, vel infideles & hæreticos ipſos ad fidem Catholicam convertendum, & Eccleſiæ gremio reducendum, miſſi fuerint, ſi pœnitentes ac confeſſi, ac ſanctiſſimâ Communione refecti fuerint, vel Miſſam celebraverint, ut meliùs ad hujuſmodi opus ſeſe parare valeant, pro duab. vicib. videlicet quando itineri ſe accingent, & quando in Provinciam, ubi prædicta opera eis exercenda erunt, ingreſſi fuerint, Plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pariter concedimus, & elargimur.

Orationibus 40. horarum à Superioribus Ordinum prædictis intereſſentibus.

13. Et inſuper, cùm Superior in Viſitationibus Generalibus orationes quadraginta horarum pro bono Viſitationis progreſſu

greſſu collocare voluerit, iis Religioſis, qui dictis Orationibus ſaltèm ſpatio duarum horarum in diverſo tempore interfuerint, & ibi pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum exſtirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, nec non diſciplinæ, & obſervantiæ regularis augmento, pias ad Deum preces, ùt ſuprà dictum eſt, effuderint, ſi confeſſi, & Sacra Communione refecti fuerint, aut Miſſam celebraverint, plenariam ſimiliter omnium peccatorum Indulgentiam & remiſſionem, ùt præfertur, concedimus.

§. 34.

Indulgentiæ plen. pro facientibus Exercitia in Domibus Noſtris.

Quicumque in Domibus Societatis Exercitia Spiritualia, à S. Ignatio inſtituta, per octidui ſpatium peregerint, & interea temporis pœnitentes, & confeſſi, Sacro ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint, quoties id egerint, plenariam Indulgentiam conſequuntur. Conceſſit Alexand. VII. Brevi, dato 12. Octobr. 1657. Servatur in Tabulario Romano. Idémque 4. Febru. 1661. declaravit Cardinali Sfortiæ Pallavicino, prædictam Indulgentiam extendi etiam ad Seminaria ſub cura Societatis, & ad Miſſiones, ídque vivæ voc. orac. non

revo

revocato. Habetur in Lib. vivæ voc. orac. M. S. pag. 163.

§. 35.

Indulgentiæ pro docentibus, & diſcentibus doctrinam Chriſtianam.

Noſtri Clerici, docentes Doctrinam Chriſtianam, aliíque Chriſti Fideles, qui huic, Societatis Miniſterio cooperari, aut intereſſe conſveverint, ſemel in anno in Eccleſiis, ubi hujuſmodi Catecheſis habetur, die Feſto ab Ordinariis locorum deſignando, ſi pœnitentes, & confeſſi, ac Sanctiſ. Euchariſtiæ Sacramento refecti fuerint, plenariam Indulgentiam conſequuntur. Quam etiam iidem lucrantur in mortis articulo, ſi verè pœnitentes, & confeſſi dictum ſanctiſſim. Euchariſtiæ Sacramentum ſumſerint: aut id facere non valentes, animo contrito, nomen Jeſu ſaltèm corde invocaverint. Præterea iiſdem, qui pariter verè pœnitentes, & confeſſi, ſemel quolibet menſe Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramẽtum ſumſerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas. Nec paucas alias Indulgentias, ùt videre eſt in Brevi Gregorii xv. pag. 111. Cui Brevi nullatenus derogatum eſſe ſuo Decreto lato 7. Martii 1678. declaravit S. Congr. Indulgentiarum, die 22. Novemb. 1678.

Omnibus Noſtris, etiam Novitiis, ſit facultas

cultas conſequendi non ſolùm Indulgentias hoc verbo contentas, ſed & quaſcumque alias quomodocumque conceſſas, ſeu in poſterum concedendas.

INDULTA.

Interdicitur uſus Indultorum Pontificiorum.

NOn licet Noſtris uti Indultis Pontificum, aut ea poſtulare, aut obtenta retinere, abſque facultate Superiorum Societatis; juxta ea, quæ habentur verbo *Abſolutio*, §. 11. & verbo *Privilegia*. §. 3. Similiter de Confeſſionali impetrato, vide ſuprà verbo *Confeſſionale*.

INFIRMI.

§. I.

Commutatio Officii Divini pro infirmis.

PRæpoſitus Generalis, & alii, quibus ipſe ſuam auctoritatem ad id communicaverit, commutare poſſunt Divinum Officium Noſtrorum, quos infirmitate excuſan-

cuſandos judicaverint, in aliud opus pium, ſeu leviorem orationem, durante tamen infirmitate. Julius III. pag. 22.

§. 2.

Satisfaciunt recitando aliquos pſalmos.

Per privilegium Fratrum S. Hieronymi, Noſtri infirmi, ſenes, ac valetudinarii, qui tenentur ad Horas Canonicas, ſatisfaciunt recitando aliquot Pater ſeu Pſalmos, vel id, quod eorum Confeſſoribus viſum fuerit. Conceſſit Martinus V. vivæ voc. orac. non authenticato; ùt in Comp. Min. V. Infirmi Fratres. §. 11. Simile quid conceſſum eſt à Clem. VII. Clericis Regularibus per Bullam, datam 7. Martii. 1533. Incipit: *Dudum pro parte veſtra*: eſt. 38. hujus Pontif. in Bull. comm. Et vi hujus poſſunt Noſtri Superiores commutare ſubditis infirmis totum Officium Divinum in certum Pſalmorum numerum, non minùs ſeptem, aut ſex cum diviſione, ac Orationem Dominicam ſepties, Symbolum Apoſtolorum bis. Cum graviter autem ægrotantibus in Orationem Dominicam ſemel, & Salutationem Angelicam ſepties in die.

§. 3.

Satisfaciunt audiendo ab alio.

Per privilegium conceſſum ab Evgenio IV. Fratribus S. Hieronymi, Noſtri infirmi, ſeu debiles, ſatisfaciunt Horis Canonicis, ad quas

ad quas tenentur, audiendo eas ab alio, vel ab aliis recitari. Habetur vivæ voc. orac. non authenticato; ùt in Comp. Min. V. *Infirmi fratres* n. 13.

Vide V. Miſſa. §. 7.

Facultatibus hujus Verbi uti poſſunt omnes Superiores;& etiã Confeſſarii, ſi Superiori vi debitur.

Vide verbo *Indulgentiæ.* §. 2. & 6. & vide etiam verbo *Profeſſi.* §. 1.

INQUISITORES.

Vide verbo *Exemtio.* §. 3.

INSTITUTUM.

§. 1.

Interdicitur diſputatio, vel impugnatio Noſtri Inſtituti, &c.

OMnibus cujuſcumque ſtatûs, gradûs, & præeminentiæ exiſtant, præcipitur in virtute ſanctæ Obedientiæ, ac ſub poenis excommunicationis latæ ſententiæ,

tiæ, necnon inhabilitatis ad Officia, & Beneficia ſecularia, & quorumvis Ordinum Regularia, eo ipſo abſque alia declaratione, incurrendis, Sedi Apoſtolicæ reſervatis; nè Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, aut Conſtitutionem ipſam, quam præmiſſorum occaſione Gregorius XIII. 8. Kal. Junii 1584. edidit, aut quemvis hujus, vel ſupradictorum omnium articulum, vel aliud quid ſupradicta concernens, quovis diſputandi, vel etiam veritatis indagandæ quæſito colore, directè vel indirectè impugnare vel contradicere audeant. Gregorius XIII. in eadem Conſtitutione pag. 78.

§. 2.

Diſtrictior præcedentis inhibitio.

Diſtrictiùs inhibetur, nè quis, ſive extra, ſive intrà Societatem, nisì de illius Præpoſiti Generalis, aut inferiorum Præpoſitorum licentia, notationes, declarationes, gloſſas, vel ſcholia ulla ſuper Inſtituto, Conſtitutionibus, privilegiis, ac aliis contentis in Conſtitutione Gregorii XIII. edita 8. Kal. Junii 1584. facere, vel ea, nisì quantum verba ipſa ſonant, interpretari, aut de eis diſceptare, ſeu ſcrupulum cuiquã injicere, vel in controverſiam, aut dubium revocare audeat quoquo modo: nec gloſſas, aut interpretationes, ſive impreſſas, ſive

ſive ſcriptas, ad id pertinentes legere, docere, aliiſve tradere, vendere, vel apud ſe retinere præſumat. Gregorius XIII. in eadem ſua Conſtit. pag. 78.

De Societatis Inſtituti declaratione vide verbo *Conſtitutiones*. §. 1. & 2. & verbo *Generalis*. §. 5. & 6.

§. 3.

Idem per Gregorium. XIV.

Nè Societatis Inſtitutum, Conſtitutiones, aut Decreta, vel ex iis, aut illa concernentibus quippiam impugnent, vel alterari curent; aut contra, vel præter ea agant, vel quippiam ulli alii alterandum, præterquam Romano Pontifici, ídque immediatè, vel per Legatum; aut Societati, vel Præpoſito proponant. Gregorius XIV. Conſtit. pag. 99.

INTERDICTUM.

§. 1.

Facultas celebrandi tempore interdicti.

Poſſunt Noſtri in locis, in quibus degunt, & eos pro tempore morari contigerit, tempore Interdicti, quavis, etiam

Apoſtolicâ auctoritate appoſiti, januis clauſis, & excommunicatis ac interdictis excluſis, ſubmiſsâ voce, Miſſas & alia Divina Officia celebrare, Sacramenta recipere, & aliis miniſtrare, dummodo ipſi cauſam non dederint Interdicto, nec contingat id ipſis ſpecialiter interdici. Paulus III. pag. 11.

§. 2.

Idem pro Noſtris familiaribus, &c.

Si quando in terris, in quibus aliqui ex Noſtris reſederint, vel in eorum perſonas, ſententiam Excommunicationis, aut Interdicti promulgari contigerit; pueri, ſeu familiares, noſtris ſervitiis deputati, & eorum, ac Societatis negotiorum procuratores, & operarii, hujuſmodi ſententiis obnoxii minimè habeantur: ibique poſſunt audire divina, nisì eiſdem cauſam dederint, vel eoſdem ſpecialiter excommunicari, ſeu interdici contigerit. Paulus III. d. pag. 11.

§. 3.

Idem privilegium de Interdicto ſpeciali.

Per privilegia Auguſtinianorum, quæcumque conceſſa ſunt Societati pro tempore Interdicti generalis, ea omnia conceſſa intelliguntur pro tempore Interdicti ſpecialis. Julius II. per Bullam, dat. 30. Jun. 1508. Incipit: *Religionem veſtram.*

Habe-

Habetur Originalis in Archivio Rom. Auguſtinianorum: eſt 5. in eorum Bullario.

§. 4.

Privilegium pro adminiſtrandis Sacramentis familiaribus, &c.

Per privilegium Monachorum S. Benedicti in Hiſpania, poſſunt Noſtri tempore Interdicti generalis, vel ſpecialis, à jure vel ab homine quomodocumque lati, liberè in Noſtris Domibus, & Collegiis ſuis, Eccleſiis, aut Capellis, recipere ad audiendum Miſſam, & alia Divina Officia, quoſcumque familiares, officiales, & ſervitores cujuſcumque Domûs, aut Collegii Noſtrorum, ac eis Euchariſtiam & alia Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, eorúmque corpora tumulare, ſive tumulari facere, dum tamen nullus iſtorum dederit cauſam Interdicto; ſecreto tamen modo, januis clauſis, & campanis non pulſatis. Conceſſit Evgenius IV. per Bullam authenticam: ùt in Comp. Min. V. *Interdictum.* 3. §. 11.

Quod hìc de Sacramentis dicitur, intelligatur juxta id, quod verbo Familiares. §. 5. *in Communicatione dictum eſt.*

§. 5.

Quænam poſſint Noſtri tempore Interdicti.

Poſſunt Noſtri tempore Interdicti & ceſ-

ſationis à divinis, quacumque auctoritate, etiam Apoſtolicâ, impoſitorum, (dummodo hujuſmodi Interdicto cauſam non dederint, nec id eis contigerit ſpecialiter interdici) apertis januis, pulſatis campanis, nominatim interdictis & excommunicatis excluſis, Miſſas, proceſſiones, & alia Divina Officia ſolemniter in cantu celebrare, quoties Profeſſionem emiſerint, aut primam Miſſam celebraverint, ſeu eos in Eccleſiis, vel cœmiteriis Domorum, vel Collegiorum, ſeu aliorum locorum Noſtræ Societatis humanda cadavera Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ continget. Leo x. per Bullas: alteram dat. 20. Maji 1515. Incipit: *Religionis, ſub qua*: alteram 21. Mar. 1522. Incipit: *Sanè Religionis*: ùt in Bull. Regul. ordine 38. & 39.

Poſſunt Noſtri in Divinis Officiis more Societatis celebrandis, & Noſtrorum ſepulturis, uti hoc privilegio, ubi ceteri Religioſi uterentur, & Prælati non offenderentur; alioquin nè utantur.

§. 6.

Idem tempore ceſſationis à Divinis.

Ex declaratione facta Minoribus per Leonem x. conceſſum eſt Noſtris in foro conſcientiæ, quòd in forma obſervationis nulla ſit differentia inter ceſſationem à Divinis, & Interdictum quodcumque.

que. Habetur inter Oracula hujus Pontif. in Bull. Regul. n. 8. & quidem perinde valere juſſit, ac ſi interveniſſet ſignatura Papæ.

§. 7.

Horæ canonicæ tempore Interdicti.

Tempore Interdicti, aut ceſſationis à Divinis, poſſumus in foro conſcientiæ, duo vel plures, extra Eccleſiam in domibus Noſtris, Officium Divinum dicere: & quando extra chorum horas dixerimus, ſi tranſeuntes perſonæ interdictæ caſu aliquid audierint, nullam propterea cenſuram incurremus. Nec tenentur evitare laborantes in Noſtris Domibus, aut Collegiis, diebus quibus laboraverint, etiamſi non ſint famulares, & ſervitores, continui commenſales Noſtri, & eis ſolvatur ſalarium. Conceſſit Leo x. Oraculo authenticato, ùt proximè dictum eſt, atque ibidem; ſed n. 9.

Pro uſu hujus Privilegii ſtatuet Præpoſitus Generalis, cui Superiori reſervanda ſit ejus permiſſio.

§. 8.

Tempore Interdicti, poſſumus certis diebus publicè celebrare Divina.

Per conceſſionem, factam Ordini S. Hieronymi in Hiſpania poſt Tridentinum, poſſunt Noſtri in ſuis Eccleſiis, tempore

Interdicti generalis, vel ſpecialis, etiam authoritate Apoſtolicâ apponendi, Officium Divinum, & Miſſam altâ voce, & januis apertis publicè celebrare, & omnes Chriſti Fideles illis aſſiſtere liberè, & licitè, videlicet Epiphaniæ, Aſcenſionis, Aſſumtionis B. M. ſingulorum Apoſtolorum, in Dominica Palmarum, feriâ 5. 6. & Sabbato hebdomadæ majoris, in Feſto SS. Trinitatis, Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, Annunciationis, & Viſitationis B. M. Nativitatis S. Joannis, S. Marci, S. Lucæ, & omnium Sanctorum, & in Commemoratione etiam omnium Defunctorum pro Miſſa, & Proceſſione; & in die obitûs alicujus Noſtri Religioſi pro Miſsa, & Officio, pro ipſo defuncto dicendis. Conceſſit Pius v. per Bullam, datam 23. Decemb. 1567. Habetur in Compendio Privil. ejus Ordinis, Romæ excuſo. A. 1592. V. *Interdictum.* §. 9.

Attendendum ſemper eſt, nè in uſu horum Privilegiorum quicquam fiat contra Decretum Concilii Tridentini Seſs. 25. Cap. 12. de Regular.

INTERPRETATIO.

Vide verbo *Declaratio.*

IRRE-

IRREGULARITAS.

Vide verbo *Diſpenſatio.* & verbo *Titulus.*

JUBILÆUM.

Tempore Iubilæi confeſſiones Noſtrorũ.

CUi poſſint confiteri Noſtri tempore Jubilæi, vide verbo *Abſolutio.* §. 11. Jubilæum verò, quod Societati conceditur, habetur verbo *Indulgentiæ.* §. 23. ubi etiam vide, quod in fine ejuſdem Verbi habetur.

JUDEX.

Vide verbo *Appellatio,* & verbo *Conſervator.*

JURAMENTUM.

Vide verbo *Confeſſarius.* §. 6. & verbo *Commutatio.* §. 1.

LAICI.

Vide verbo *Sacra*. §. 1.

LECTORES.

Facultas deputandi Lectores Theologiæ, &c.

PRæpoſitus Generalis habet poteſtatem, ubilibet deputandi Lectores Theologiæ, & aliarum facultatum, quos ex Noſtris in Domino idoneo judicaverit, alterius licentiâ ad id minimè requiſitâ. PAULUS III. in litteris. Apoſtolicis. pag. 14.

Hæc facultas conceditur Provincialibus, juxta ordinem præſcriptum in eorum Regulis.

LEGATA.

LEgata pia, quæ Societati relinquuntur, an à Superioribus commutari poſſint, vide verbo *Commutatio*. §. 4.

LIBRI

LIBRI PROHIBITI.

§. 1.

Facultas legendi libros hæreticos, ad oppugnandum.

PRæpoſitus Generalis conſideratè, cum delectu, & re conſultatâ cum ſuis Aſſiſtentibus, poteſt concedere Noſtris facultatem legendi libros hæreticos,& alios prohibitos, ad oppugnandum. Gregorius XIII. poſt Pium V. ùt habetur in litter. Apoſtolicis pag. 43.

§. 2.

Facultas legendi libros non hæreticos, prohibitos tamen.

Poſſunt Noſtri uti libris non hæreticis, licèt habeant annotationes & ſcholia Auctorum hæreticorum, aut Auctores ipſi mali ſint, ſi libri non ſint editi ad ſtabilienda dogmata hæretica; dummodo nomen Auctoris, ſi ſit hæreticus, aut in Indice prohibitus, & ſi quid inter legendum impium occurrerit, deleatur. ibidem. 34.

Soli Provinciales poſſunt hanc facultatem, & ſequentes concedere, niſi judicarent eamdem poteſtatem alicui Præpoſito, aut Rectori

magnæ alicujus Domûs, aut Collegii, aut alicui idoneæ perſonæ eſſe communicandam; quod tamen faciant conſideratè, & cum delectu.

§. 3.

Facultas emendandi libros.

Conceditur Noſtris, qui à Superiore deputati fuerint, facultas emendandi libros eorum, qui ad nos, vel in Scholis, vel extra illas recurrere ſolent quando Auctores pii ſunt, ſed habent prava ſcholia, vel annotationes; aut quando Auctores, aut Impreſſores ſunt impii, non tamen libri: aut cùm Auctores ſunt ethnici, ſed habent ſcholia, annotationes, vel quid hujuſmodi, propter quod prohibiti ſunt, dönec purgentur; dummodo errores, & nomina malorum Auctorum, vel Impreſſorum deleantur. in d. litteris Gregorii pag. 43.

§. 4.

Etiam Scholaſticorum.

Conceſſit itèm Gregorius, quòd Noſtri, non ſolùm Noſtros, quos in Collegiis, aut Domibus haberent, ſed etiam Scholaſticorum, ad noſtras Scholas confluentium, libros, ethnicorum Auctorum, propter Scholia, annotationes, commentaria, aut impreſſorum in Indice prohibitos, ſi ad id à Præpoſito Generali per ſe ipſum, vel per alios deputati forent, emendare,

dare, & ſcholaſticis prædictis utendos relinquere poſſint, deletis tamen erroribus, & nominibus auctorum prohibitorum. pag. 44.

§. 5.

Noſtri poſſunt exſequi ea, quæ in catalogo, &c.

Noſtri in libris ſuis, poſſunt mandare exſecutioni ea, quæ in catalogo & decreto Sanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis præcipiuntur, ad effectum ut illi retineri poſſint. ibidem. 44.

§. 6.

Supplentur omnes defectus.

Omnes prædictæ facultates, quæ à Pio V. Gregorio XIII. vivæ voc. orac. & quæcumque aliæ ſuper hujuſmodi libris habendis, legendis, aut corrigendis, uſque ad 8. Januarii, Anni Domini 1575. Societati conceſſæ ſunt, approbantur & confirmantur: omnes defectus, ſi qui forſan in eis intervenerunt, ſupplentur: & facultates ipſæ, quatenus opus ſit, de novo conceduntur. in d. litteris p. 44.

Præmiſſa omnia conceduntur, non obſtantibus Bullis in Cœna Domini legi conſvetis, ceteríſque contrariis quibuſcumque. Ibid. & verbo *Bulla Cœnæ.*

Advertendum 1. *Clementem VIII. ad*

preces P. Claudii confirmâſſe ejus litteras, quibus interdixerat uſum hujus Privilegii in Regionibus ſubjectis Tribunali Hiſpanico S. Inquiſitionis, quáſque approbaverat Congr. Gen. V. Decr. 21. Brevi dat. 23. Sept. 1593.

Adverte 2. *facultatis legendi, & habendi Libros prohibitos univerſalem revocationem editam fuiſſe à Gregor. XV.* 30. *Dec.* 1622. *ùt in Bull. comm. Conſtit.* 40. *& ab Urbano VIII.* 2. *Aprilis* 1631. *ibidem Conſtit.* 145.

LICENTIA.

Votorum commutatio.

AN licentia Nobis facta ad commutanda aliqua vota, &c. per Prælatos Eccleſiarum, exſpiret eorum morte, vide verbo *Sede vacente.*

LITES.

Vide verbo *Cauſa.* & verbo *Conſervator.*

MA-

MATRIMONIUM.

Poſt tria vota inhabilitas ad matrimonium.

OMnes, qui in Societatem admiſſi, biennio Probationis à quolibet eorum peracto, tria vota ſubſtantialia, tametſi ſimplicia, emiſerint, emitténtve in futurum, inhabiles eſſe, antequam à Societate dimittantur, ad matrimonium contrahendum; contractúſque hujuſmodi nullos, & irritos decrevit Gregorius XIII. editâ Conſtitutione pag. 78.

MEDICI.

Facultas medendi.

OMnes Noſtri, qui Medicinæ periti fuerint, poſſunt mederi quibuſcumque perſonis infirmis, ſive Noſtræ Societatis ſint, ſive extranei & ſeculares, abſque ullo conſcientiæ ſcrupulo, aut aliquarum ſententiarum, & cenſurarum Eccleſiaſticarum, vel aliarum pœnarum incurſu; quando ta-

do tamen Medici ſeculares commodè haberi non poſſunt: dummodo id faciant de ſuorum Superiorum licentia, & citra aduſtionem, & inciſionem per ſeipſos faciendam. Gregorius XIII. pag. 48.

Hanc facultatem concedere poſſunt omnes Superiores.

Quas indulgentias conſequantur Medici Noſtri Ordinarii, vide ſuprà verbo *Indulgentiæ*. §. 29.

MISSA.

§. 1.

Omnes poſſunt audire Miſſas in Noſtris Eccleſiis.

OMnes Chriſti fideles, qui concionibus Noſtrorum intervenerint, poſſunt ejuſmodi diebus in Eccleſiis, in quibus Noſtri concionabuntur, Miſſas & alia Divina Officia audire, & Sacramenta recipere, ità ut non teneantur pro his adire ſuas Parochias. Paulus III. pag. 12.

§. 2.

Audientes Miſſas in Noſtris Eccleſiis, ſatisfaciunt præcepto.

Audientes Miſſas in Noſtris Eccleſiis, Domi-

Dominicis aliiſque feſtivis diebus, non contemto proprio Sacerdote Parochiali, ſatisfaciunt præcepto Eccleſiæ, nec in aliquam labem peccati mortalis, pœnámve propterea incurrunt. Conceſſit Leo x. Minoribus per Bullam, datã 3. Dec. 1518. Incipit: *Exponi Nobis:* eſt 22. in Bull. Regul.

§. 3.

Poſſunt Noſtri celebrare per horam ante auroram, &c.

Poſſunt Presbyteri Societatis celebrare Miſſas per horam ante auroram, & infra horam poſt meridiem, itineris, vel alterius legitimi impedimenti causâ, de licentia Præpoſiti Generalis, vel cujuslibet alterius ad id ab eo deputati. Gregorius XIII. pag. 61.

Hæc facultas communicatur omnibus Superioribus, & iis quibus ipſi commiſerint.

Vide verbo *Altare.* & verbo *Hora Hanonica.* §. 1. & 5. & verbo *Interdictum.* §. 4. & 5.

§. 4.

Alia facultas pro Semihora ante auroram.

Noſtri poſſunt celebrare per ſemihoram ante Auroram. Conceſſit Sixtus V. per litteras, Patribus Oratorii de Urbe, dat.

dat. 5. Sept. 1586. Voluit tamen, ut moderatus eſſet uſus hujus Privilegii. Habetur in eorum Archivio.

§. 5.

Et alia pro hora ante diluculum.

Itèm Noſtris permiſſum eſt celebrare per horam ante crepuſculum diei: & vetantur Ordinarii illis ſuper hoc moleſtiam inferre. Conceſſit Greg. XIII. Ordini S. Hieronymi in Hiſpania per Breve authenticum: refertur in Comp. Privil. ejus Ordinis V. Celebrare §. 8. & ejus transſumtum juridicum apud nos habetur.

§. 6.

Facultas celebrandi elapſis 2. horis poſt medium noctis.

Præterea Noſtri poſſunt celebrare Miſſam duabus horis immediatè poſt mediam noctem uſque ad Nonam incluſivè. Alex. VI. conceſſit Monachis S. Benedicti Montis Serrati per Bullam, dat. 5. Kal. Maji 1599. Incipit: *Sanè merita*: eſt 13. in Bull. Regular. Quam conceſſionem Clemens VIII. extendit ad alia Monaſteria, Bullâ datâ 30. Septemb. 1592. Incipit: *Romanus Pontifex*: eſt 22. ibidem.

Facultates, de quibus in his poſtremis quatuor §§. communicantur omnibus Superioribus, & iis, quibus ipſi commiſerint.

§. 7.

§. 7.

Et in proprio cujuſque Infirmi cubiculo.

Noſtri, quibus ob infirmitatem vel per Medicum, vel per Superiorem è cubiculis ſuis exire prohibetur, poſſunt, durante infirmitate, Miſſam in proprio cubiculo ſuper Altari portatili, in loco tamen decenti, celebrari facere, & Sacro-ſanctam Euchariſtiam confeſſi ſuſcipere, Ordinariorum, ſeu quorumvis licentiâ minimè requiſitâ. Conceſſit Pius IV. Canonicis Regularibus S. Salvatoris per Breve, dat. 18. Maji 1565. atque adeò poſt publicationem Concilii Tridentini: exſtat in Libro Privilegiorum ejus Ordinis, edito Anno 1606. & refertur in Comp. Clericorum Regularium, ab Alexandro Peregrino compilato. V. *Miſſa* §. 2.

Solius Præpoſiti Generalis erit uſum hujus facultatis concedere.

§. 8.

Et ſuper Altari portatili.

Noſtri poſſunt, ubicumque fuerint, ſinè parochialis juris præjudicio, non requiſito Ordinariorum aſſenſu, cum altari portatili celebrare. Paulus III. pag. 42. & clariùs Honorius III. FF. Prædicatoribus, & Minoribus per litteras, inſertas Corpori Juris. Cap. *In his*, de Privil.

Solius

Solius Præpoſiti Generalis erit uſum hujus facultatis concedere.

MISSIONES.

Vide verbo *Generalis.* §. 2. & 3. & verbo *Prælati.* §. 1.

MONIALES.

AN Noſtri poſſint compelli ad Monialium curam recipiendam, &c. Vide verbo *Exemtio.* §. 10.

NOTARIUS.

Facultas deputandi Notarios, &c.

PRæpoſitus Generalis, ac Provinciales in unaquaque eorum Provincia, poſſunt creare & deputare in Notarios, unum, duos, tres, quatuor, vel quinqne, aut plures Religioſos Societatis, qui probi ſint, & fide doctrináque idonei, qui intimare poſſint, quoties requiſiti fuerint, omnia & ſingula mandata, privilegia, conceſſiones, & indulta, ac Societati, ſeu ejus perſonis conceſſa, & emanata reſcripta Apoſt o-

Apoſtolica, quibuſvis perſonis ſecularibus, aut Eccleſiaſticis: eóſque monere, & requirere, juxta prædictorum tenorem, aliáque omnia opportuna exſequi, & de his publica coram teſtibus requiſitis inſtrumenta conficere, quibus eadem adhibeatur fides in judicio & extra, ac ſi per alios authenticos Notarios fuiſſent authenticata; ac eoſdem ſic intimatos, monitos, & requiſitos eis arctari debere. Conceſſit Pius V. per Bullam Ordini Prædicatorum, adjectâ pœnâ ſuſpenſionis à Divinis quoad Archiepiſcopos, & Epiſcopos; & excommunicationis ipſo facto quoad inferiores, adjectis itèm maximis clauſulis derogatoriis. Habetur in Bull. comm. eſt 124. dat. 21. Mar. 1571. Incipit: *Debitum Paſtoralis.*

Facultas hæc communicatur Provincialibus: quâ tamen non utantur, niſi quando prædicta per externos commodè fieri non poterunt.

NOVITII.

§. I.

Superiores admittunt Novitios.

Tam

TAm in eorum admiſſione ad Societatem, quàm ad Scholaſticorum vota, poſt biennium Novitiatûs, juxta Societatis more per Superiores admittendi ſunt. Gregorius XIV. Conſtit. pag. 97.

§. 2.

Superiores tam in Novitiis admittendis, quàm in diſpenſationibus cum eis, retinent auctoritatem, &c.

Tam in Novitiis, cujuſcumque generis illegitimis admittendis, quàm in diſpenſationibus ad quælibet Officia, gradus, & dignitates in Societate, ipſis cujuſvis generis illegitimis concedendis, formam, & rationem omnimodam in illis Apoſtolicis diplomatis, ac privilegiis quibuſvis, nec non in Conſtitutionibus, Decretis, & Regulis expreſſam, liberè & licitè proſequi, & retinere poſſe Societatem, decernit, & quatenus opus ſit de novo concedit Gregorius XIV. in litteris pag. 102.

OFFICIA.

§. I.

Abſolutio ab Officiis, & eorum diſtributio.

Abſo-

Abſolutio ab Officiis, aut privatio, à nullo Judice peti poteſt. Paulus III. pag. 39. Propriique cujuſque gradûs judicium, & Officiorum diſcretio, ac diſtributio, tota eſt in manu Præpoſiti Generalis, vel eorum, quos ipſe ſibi ea cum auctoritate ſubſtituerit. Julius III. p. 18.

§. 2.

Facultas circa Officium.

Facultas Officium anteponendi, & poſtponendi, eſt penès Societatem. Julius III. pag. 22. Eámque facultatem extendit, ut illud poſſit etiam Miſſæ Sacrificio ex cauſa poſtponi, idem Pontifex.

Hæc facultas conceditur omnibus Sacerdotibus.

ORACULA.

Non minoris ſunt efficaciæ & valoris, vivæ vocis oracula, quàm ſi per Bullam, aut Breve, ad perpetuam rei memoriam eſsent conceſſa, & hoc in foro conſcientiæ tantùm. Conceſſit Leo X. Minoribus, per ſignaturam: ùt in Bull. Regul. inter oracula hujus Pont. n. 4.

Vide verbo *Communicatio gratiarum.* §. 6.

ORATORIA.

§. I.

Facultas celebrandi in Oratoriis,&c.

DAtur facultas, ut in Oratoriis & Capellis, quæ Provinciales Societatis per ſeipſos in Domibus, Collegiis, & aliis locis, ubi aliqui Societatis reſidebunt, approbaverint, & ad Divinum cultum dumtaxat deputaverint, Miſſæ, & alia Divina Officia celebrari poſſint, nullius alterius ad id requiſitâ licentiâ. Gregorius XIII. pag. 47.

Non utentur Provinciales hac facultate, niſi in locis remotis ab oppidis, in quibus Ordinarii exiſtunt.

§. 2.

Facultas Oratoria erigendi.

Noſtri Superiores poſſunt in Grangiis, & locis, in quibus non ſunt Eccleſiæ, vel Capellæ, aliquas Capellas, ſeu Oratoria conſtituere, in quibus Miſſæ, & alia Divina Officia celebrari poſſint, ſinè alicujus præjudicio, nullius licentiâ requiſitâ,

ſitâ, ex conceſſione Urbani V. Carthuſianis per Bullam, dat. 7. Kal. Maji. 1363. Incipit: *Sinceræ devotionis*: habetur in Bull. comm. ordine 2. & Alex. VI. Ciſtercienſibus per Bullam, datam 8. Idus Nov. 1498. Incipit: *Romanus Pontifex*: eſt 14. in Bull. Regul.

Vide V. *Miſſa*, §. 7. & 8.

ORDINES.

§. I.

Facultas ad ſacros Ordines, &c. promovendi.

POteſt Præpoſitus Generalis præſentare Noſtros cuicumque Catholico Antiſtiti, gratiam & communionem Sedis Apoſtolicæ habenti: iſque ſic præſentatos, abſque omni promiſſione vel obligatione ipſorum ordinandorum, ad omnes ſacros Ordines promovere. Paulus III. pag. 12.

Advertatur, hanc facultatem declarari per §. ſequentem.

§. 2.

Facultas Noſtros promovendi ante Profeſſionem.

Noſ-

Noſtri, qui tria vota, Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ, in Societate emiſerunt, de licentia Præpoſiti Generalis poſſunt promoreri ad omnes ſacros Ordines, etiam ante ſolemnem Profeſſionem emiſſam, ſi modò ſint ætate, moribus, & doctrinâ idonei; non obſtante Conſtitutione Pii V. quæ decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 22. cap. 2. de Reform. ad Regulares non Profeſſos extendit. Gregorius XIII. pag. 43.

§. 3.

Debent ab Epiſcopis promoveri Noſtri ſine interſtitiis, &c.

Præcipitur & interdicitur omnibus Epiſcopis, & aliis Antiſtitibus, nè à Noſtris promovendis, qui licentiam à Præpoſito Generali Societatis pro tempore exiſtente, vel ab eo delegatis habuerint, quædam requirant vel exigant, in litteris Apoſtolicis proximè citandis contenta: ſed ipſos etiam abſque ulla functione in ipſis Ordinibus, aut obſervatione interſtitiorum ad illos ſuſcipiendos, aut inquiſitione de cantu, officiis, & cæremoniis Eccleſiaſticis, idoneitate, proprii Ordinarii licentia, & aliis in alios requiſitis, ad minores, ac etiam extra tempora à jure ſtatuta, tribus Dominicis, vel aliis Feſtis diebus, etiam continuis, ad ſacros, etiam Presbyteratûs, Ordines

dines promoveant, acſi illi omnibus requiſitis eſſent præditi. Gregorius XIII. pag. 72. & ſequent. Ubi etiam prohibet hujus gratiæ communicationem, etiam iis, qui ſua privilegia cum Societate participant, & participare poterunt.

Facultates, quæ præcedentibus §§. continentur, comunicantur omnibus Provincialibus, exceptâ facultate extra tempora, quæ in Europa reſervatur Præpoſito Generali.

§. 4.

Noſtri poſt vota promoveri poſſunt.

Societatis Religioſi, emiſſis votis ſimplicibus, promoveri poſſunt, ex Gregorii XIV. Conſtit. ad Sacerdotium. pag. 98.

PARAMENTA.

Vide verbo *Sacra*. §. 2.

PRÆDICATORES.

Facultas Concionatores deputandi, &c.

POſſunt Noſtri, qui idonei reperti fuerint, deputari à Præpoſito Generali, ad prædicandum in quibuſvis locis,

atque adeò in plateis. Paulus III. pag. 7. Etiamſi in ſacris Ordinibus non ſint conſtituti. Gregorius XIII. pag. 72.

Deputatio approbatorū Provincialibus cōceditur, & quibus ipſi commiſerint. Ceterùm per Concilium Tridentinum ſeſſ. 5. c. 2. Noſtri in Eccleſiis noſtris, ut prædicare poſſint, ultra deputationem Superiorum, egent benedictione Epiſcoporum: in alienis autem, egent eorumdem Epiſcoporum licentiâ. Ipſis verò Epiſcopis contradicentibus, Noſtri nec in noſtris, nec in alienis Eccleſiis poſſint prædicare: ùt habetur eodem Concilio ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform. Privilegium tamen, de quo ſuprà verbo Confeſſarius. §. 2. *vim ſuam retinet.*

Vide verbo *Confeſſarius.* §. 2.

PRÆLATI.

§. 1.

Deputati ad miniſteria Prælatorum ſub correctione Societatis ſunt.

PRæpoſiti Noſtræ Societatis non tenentur deputare Noſtros ad ullum miniſterium Prælatorum, niſi auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicæ, quæ expreſſam de Societate, & hoc indulto mentionē faci-

faciant: quòd ſi aliquos deputent, nihilominùs deputati ſub correctione Ordinis exiſtunt, poſſúntque ab eiſdem Superioribus, cùm id expedire judicaverint, removeri. Paulus III. pag. 10.

Servetur tamen, quod habetur in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. cap. 12. de Regul.

§. 2.

Nullus Noſtrorum ab externo excommunicari, &c. poteſt.

Nullus Prælatus poteſt contra aliquem Noſtrorum, aut contra alios noſtrâ causâ, ferre ſententiam excommunicationis, ſuſpenſionis, vel interdicti, contra privilegia Societatis, per Paulum III. conceſſa uſque ad xv. Kalen. Novembris, anno Domini 1549. & ſi feratur, eſt irrita. Paulus III. pag. 11.

Vide tamen, quæ notantur verbo Exemtio. §. 1. *in fine.*

§. 3.

Facultas Superiorum in ſubditos.

Omnes Præpoſiti Societatis, ac Rectores, quoad Religioſos Societatis ſibi ſubditos, poſſunt per ſeipſos idem omnino, quod poſſunt Epiſcopi in Clericos & laicos ſibi ſubjectos, tam quoad facultatem abſolvendi, & diſpenſandi in irregularitatibus, de quibus in Concilio Tridentino ſeſs. 24.

cap. 6. quàm alias quaſcumque facultates. Conceſſit Pius V. Fratribus Prædicatoribus per Bullam dat. 21. Jul. 1571. Incipit: *Romani Pontificis*: eſt 132. in Bullario communi.

Videndum tamen eſt, quid per Bullam Cœnæ, & alias, revocatum ſit, juxta notata V. Abſolutio poſt §. 11.

Hæc facultas reſervatur Præpoſito Generali, niſi prout in particulari ſuis locis reperitur communicata in hoc Compendio.

Vide verbo *Sede Vacante*.

PRÆSCRIPTIO.

Præſcriptio non minor 60. annis valet contra Societatem.

NUlla præſcriptio minor quàm ſexaginta annorum, valet contra bona, perſonas, & loca Societatis, etiam de rebus forſan præſcriptis, in quibus adhuc iſtud tempus non eſt abſolutum, & aliis in poſterum omnibus futuris temporibus. Conceſſit Evgenius IV. de plenitudine poteſtatis, Ordini S. Benedicti Congr. S. Juſtinæ per Bullam dat. 7. Kal. Mar. 1434. Incipit: *Et ſi ex debito*: eſt 7. in Bull. Regul. Si-

mili-

militer habetur per Bullas, Sixti IV. pro Canonicis Regularibus Lateranenſibus, dat. 10. Kal. Septemb. 1476. Incipit: *Dum ad univerſos*: eſt 10. in Bull. comm. §. 22. & Julii II. pro Olivetanis, dat. prid. non. Jun. 1507. Incipit: *Etſi aduniverſos*: eſt 12. in eodem Bull. §. 28. & ejuſdem Julii pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris, dat. 4. Non. April. 1512. Inc. *Inter cæteros*: eſt 30. in eod. Bull. §. 42.

Sed hujuſmodi Privilegium ad ſpatium 100. annorum Eugen. IV. extendit pro Monaſterio S. Pauli extra muros, per Bullam dat. 7. Kal. Jul. 1442. Inc. *Ex Apoſtolicæ*: eſt 17. in Bull. Regul. §. 15. & Paulus III. pro Benedictinis per Bullam, datam Nonis Nov. 1537. Incipit: *Benignitas*: eſt 15. in Bull. comm. §. 6. Quæ centenaria præſcriptio pridē conceſſa fuerat Monaſterio SS. Trinitatis Benedictinorum ab Urbano II. teſte Cherubino in Scholiis Bullæ proximæ citatæ, in Comp. Bullarum.

PRIVILEGIA.

§. I.

Interpretatio privilegiorum Papæ reſervatur.

NOſtrorum privilegiorum per Paulum III. uſque ad xv. Kalend. Novembris anno Domini 1549. conceſſorum, interpretatio reſervatur Sedi Apoſtolicæ. Paulus III. pag. 12. Quin verò inhibitum eſt omnibus Prælatis, nè præſumant interpretari privilegia Nobis conceſſa, ſive clara ſint, quæ interpretatione non indigent, ſive dubia contineant. Conceſſit Clemens IV. Prædicatoribus, ùt patet ex Bulla, data Non. Julii. Anno 4. Incipit: *Ordinis Veſtri:* eſt 12. in Bull. comm. §. 2. Sic habetur per plures Bullas Eugenii IV. pro Benedictinis, dat. 7. Kal. Mar. 1434. Incipit: *Etſi ex debito*: eſt 10. in Bull. Regul. §. 18. & rurſus pridie Kal. Jul. 1436. Inc. *Regularem vitam*: eſt 9. in eodem Bull. §. 19. & Sixti IV. pro Canonicis Regularibus Lateranenſibus, dat. 10. Kal. Sept. 1476. Incipit: *Dum ad univerſos*: eſt 10. in Bull. comm. §. 35. & Julii II. pro Olivetanis dat. prid. Non. Jun. 1507. Incipit: *Etſi ad univerſos*: eſt 12. in eodem Bull. §. 37. & ejuſdem pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris. dat. 4. Non. April. Incipit: *Inter cæteros*: eſt 30. in Bull. comm. §. 48. & Leonis x. pro Camaldulenſibus dat. 4. Non. Jul. 1513. Incipit: *Etſi à ſummo*: eſt 2. ibid. §. 45.

Per

Per hoc privilegium non derogatur illi, de quo infrà §. 4. & ſuprà verbo General. §. 5.

§. 2.

Per unum aut plures actus non derogatur privilegiis &c.

Si quando contigerit per unum aut plures actus contra privilegia, indulta, gratias, & immunitates Societati conceſſa, aut ipſorum aliquod, à quocumque, cujuſcumque conditionis, dignitatis, gradûs, & ſtatûs exiſtat, ex negligentia, ſeu ignorantia, præſentium, & futurorum, quibus ea conceduntur, aut alia quavis cauſa aliter attentari, vel obſervari, ſcienter vel ignoranter; nullum tamen propter hoc præjudicium indultis, gratiis, & immunitatibus ipſis generatur: ſed illa in ſuo vigore, & pleno robore firmitatis perpetuò permanent. Sic habetur ex privilegiis Canonicorum Regul. Later. in M. S. fol. 50. pag. 1.

§. 3.

Interdicitur Noſtris procuratio, & uſus exemtionis.

Nulla perſona Societatis privilegium aliquod contra communia ipſius Societatis ſtatuta poſtulare audeat, aut obtentum retinere. Conceſſit Eugenius III. Ciſtercienſibus per Bullam, dat. Kal. Aug. 1152.

Incipit: *Sacroſancta*: eſt 2. in Bull. comm. §. 3. Si quæ verò impetrabuntur hujuſmodi à Sede Apoſtolica, vel ejus Legatis, ſub quacumque forma, vel expreſſione verborum, irrita ſunt & inania. Conceſſit Clemens IV. Ciſtercienſibus per Bullam, dat. 5. Idus Julii. Anno 1. Incipit: *Nè propter*: eſt 1. in Bull. Regul. & Julius II. uberiùs Auguſtinianis, Bullâ, datâ 24. Sept. 1508. Incipit: *Nihil eſt, quod ſæpius*: eſt 22. in eod. Bull. §. 3. Et hoc idem latiùs habemus per litteras Leonis x. pro Eremitis S. Auguſtini, juxta quas, ſi quæ privilegia à Noſtris fuerint impetrata contra Regulam, aut Conſtitutiones, aut mores Societatis, nullius momenti, ac pro infectis habenda ſunt, etiamſi à Sede Apoſtolica ſint concesſa, nisi eiſdem Leonis litteris de verbo ad verbum, conſentiente Societate, ſit derogatum. Habetur in privilegiis dicti Ordinis. fol. 47. pag. 1.

§. 4.

In dubio, in favorem Societatis interpretandum.

Quoties dubium fuerit in intellectu privilegiorum noſtræ Societatis, ſemper per Juriſperitos, & alios Judices, in favorem Societatis fiat interpretatio. Conceſſerunt plures Pontifices per Bullas, citatas hoc Titulo §. 1. Sixtus IV. §. 34. Julius

II. in

II. in utraque Bulla §. 2. Leo X. §. 4. Præterea Paulus III. in Bull. comm. Bullâ 1. §. 23. & Gregorius XIV. ibid. Bullâ 18. §. 8.

§. 5.

Per non uſum non derogatur privilegiis.

Poſsumus uti privilegiis Nobis conceſſis, etiamſi propter ſimplicitatem, aut juris ignorantiam, eis non fuerimus uſi retroactis temporibus, dummodo eis non ſit per præſcriptionem, vel aliàs legitimè derogatum. Conceſſit Nicolaus IV. Carthuſienſibus, per Bullam, ùt conſtat ex eorum Privil. fol. 20. & ex Comp. Min. V. *Privilegia Fratrum*. §. ult.

§. 6.

Quæ privilegia facta Generali valeant.

Omnia privilegia facta Præpoſito Generali, vel Societati, ſive per ſe, ſive per communicationem, ſive ſint facta in forma Brevis, ſive per ſupplicationes expedita, in quibus placuit, ut ſignatura ſola ſufficeret, eamdem omnino vim & efficaciam habent, tam in judicio, quàm extra judicium, ac haberent ſi plumbeo ſigillo eſſent obſignata. Conceſſit Julius II. pro Eremitis S. Auguſtini, per Bullam, dat. 2.. Sept. 1508. Incipit: *Nihil eſt, quod ſæpius*: eſt 22. in Bull. Regul.

§. 7.

Originalibus privilegiorum aliorum Ordinum uti poſſumus.

Privilegiis originalibus, aut tranſſumtis authenticis Ordinum Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, Minorum, Minimorum, ac Servorum MARIÆ, exhibitis in favorem Eccleſiarum, Domorum, ac Collegiorum, ſeu perſonarum Societatis, eadem fides, tam in judicio, quàm extra habenda eſt, ac ſi pro & in favorem Societatis à Sede Apoſtolica emanâſſent, & eidem immediatè conceſsa forent. Conceſsum eſt Dominicanis, per Bullam; ùt in Comp. Min. V. *Privilegia Fratrum.* §. 6. Et alia etiam plura debent concurrere, ut aliquod ex Noſtris Privilegiis derogatum cenſeatur; ex Bulla Leon. x. pro Camalduleŋſibus, dat. 4. Non. Iul. 1513. Incipit: *Etſi à ſummo*: eſt 2. in Bull. com̃. §. 46.

Sed conſulenda Bulla Urbani VIII. 155. in Bull. communi, per quam hoc indultum magna ex parte ſublatum eſt.

§. 8.

Privilegia aliis conceſſa Societati non præjudicant.

Nullæ litteræ, ſeu privilegia Apoſtolica, quibuſvis perſonis, & quibuſvis Collegiis, Capitulis, Univerſitatibus, ſeu Conventibus, conceſſa contra tenorem privilegiorũ, quæ Nobis conceſſa ſunt, præjudicant Societa-

cietati, ejúſve Domibus, locis, aut perſonis, niſi in eis cum expreſſione Ordinum, etiam Mendicantium, & illorum Religioſorum de Societate, & illius, ac ejus Domibus, ac Nobis conceſſis privilegiis, nec non quoad concedenda privilegia, & litteras, de Præpoſito Generali Societatis, qui pro tempore erit, ſpecialiter & expreſſè, ac de verbo ad verbum mentio facta fuerit. Conceſſit Eugenius IV. Dominicanis, ùt in eorum privilegiis. fol. 108, pag. 1. & ſeq. Per privilegia verò Benedictinis per Eugenium IV. ac Leonem conceſſa, de quibus in manuſcriptis. fol. 42. pag. 2. & ſeq. alia etiam debent concurrere, ut aliquod ex Noſtris privilegiis derogatū cenſendum ſit.

§. 9.

Læſio facta perſonis, juribus, &c. non tenet, &c.

Si qua læſio facta ſit per quoſvis cujuſvis ſtatûs, quocumque modo vel formâ, vel in futurum fiet perſonis, juribus, & rebus, ac bonis Societatis, licèt culpâ Noſtrorum, aut Procuratorum Societatis, ſeu Domorum, aut Collegiorum, ipſo jure non tenent; nec eſt opus reſtitutionem in integrum pro læſione hujuſmodi impetrare. Conceſſit Joannes XXIII. in favorem Monachorum Congregationis Montis Oliveti, per Bullam, dat. 11. Kal. Febr. exſtat in

libro Privilegiorum ejus Ordinis, impreſſo Fulgineæ, 1556. fol. 18.

§. 10.

Excommunicantur temerè contradicentes.

Quicumque alicui conceſſionum Noſtrarum temerè contraire auſi fuerint, excommunicationem incurrent, & ii tales ſunt publicandi: quòd ſi ſint Clerici, præter hoc privantur dignitatibus & beneficiis Eccleſiaſticis, ità ut liberè poſſint impetrari. Conceſſit Leo X. Auguſtinianis, per Bullam non authenticatam, ut in Comp. Min. V. Privilegia Fratrum §. 21. Similis conceſſio pro Prædicatoribus, & Minoribus habetur per Bullas Sixti IV. in Bull. Regul. eſt 20. in §. 10. & 33. in §. 53. Prima dat. 7. Kal. Aug. Anno 8. Incipit: *Sacri Prædicatorum, & Minorum Ordines*: Secunda prid. Kal. Sept. 1474. Incipit: *Regimini univerſalis.* Præterea idem indultum Auguſtinianis Bullâ 34. & Carmelitis 37. ejuſd. Pont. in eod. Bull.

§. 11.

Omnia privilegia, &c. approbantur à Gregorio. XIII.

Omnia privilegia Societatis, facultates, exemtiones, immunitates, gratias, & indulta, tam per ſuos Prædeceſſores, quàm à ſe conceſsa, Motu proprio, certáque ſcientia

entiâ, ac de plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis approbat atque confirmat Gregorius XIII. pag. 66. & 77.

Vide verbo *Communicatio gratiarum.* & verbo *Generalis.* §. 8. Et qualiter perſonæ Eccleſiaſticæ, in dignitate conſtitutæ, teneantur Noſtra Privilegia publicare, &c. Vide juxta ea, quæ habentur verbo *Conſervator.* §. 8. Et quòd non derogentur per Bullam Cœnæ tempore Gregorii XIII. Vide verbo *Bulla Cœnæ.* §. 2.

§. 12.

Privilegia noſtra integre, & ad verbum intelligi debent.

Ex conceſſione Julii II. pro Auguſtinianis per Bullam, non authenticatam, Privilegia Noſtra integre, & ad verbum, ùt ſonant, pleniſſimè, atque inviolabiliter ubique gentium obſervari debent. Habetur in Comp. Min. V. *Privilegia Fratrum.* §. 17.

PROCESSIONES.

Exemtio à proceſſionibus.

EXimuntur & liberantur Noſtri ab intereſſentia in ſupplicationibus, ſeu precibus, & proceſſionibus publicis; inhiben-

hibentúrque Ordinarii quavis dignitate ſulgentes, nè Noſtros ad intereſſendum dictis proceſſionibus quovis modo cogere, ſeu ſuper præmiſſis inquietare, ſeu inquietari facere audeant, vel permittant. Gregor. XIII. pag. 49. & ſeq.

PROCURATOR.

Facultas Procuratoris generalis.

PRocurator Generalis Societatis à Præpoſito Generali inſtitutus, eo ipſo omnium Provinciarum, locorum, ac perſonarum Societatis quaſvis cauſas, etiam ſpeciale mandatum requirentes, juxta poteſtatem ſibi à Generali Præpoſito traditam agere poteſt. Conceſſum eſt à Martino V. Dominicanis, per Bullam dat. 7. Kal. Junii. Anno 3. Incipit: *Regimini univerſalis.* Habetur in Privilegiis ejus Ordinis, impreſſis Romæ 1555. fol. 106. pag. 2. & à Bonifacio IX. dat. 5. Kal. Maji, Anno 13. Incipit: *Perſonam tuam*; ibid. fol. 95. pag. 1.

Poteſtas ordinaria ea cenſebitur à Præpoſito Generali tradita, quam Procurator in Officio ſuo præſcriptam habuerit.

De-

De Indulgentiis, quas Noſtri Procuratores externi conſequuntur, vel conſequi poſsunt, vide verbo *Indulgentiæ*. §. 29. & ſeq. & vide etiam quod habetur verbo *Interdictum*. §. 2.

PROFESSI.

§. 1.

Ipſorum habitatio in Collegiis.

NOſtri, qui ſenio confecti ſunt, vel infirmitate gravati, & ad operandum in vinea Domini non idonei, etiamſi Profeſſi ſint, poſsunt de licentia Præpoſiti Generalis, vel inferiorum, quibus hanc facultatem communicaverit, habitare in Collegiis, & ex eorum reditibus ſuſtentari. Julius III. pag. 23.

Hanc licentiam poſſunt Provinciales concedere: ſi priùs Præpoſitus Generalis commodè admoneri nequeat; poſtquam verò conceſſerint, Præpoſitum Generalem admoneant.

§. 2.

Facultas mittendi Noſtros ad quaſcumque Religiones.

Poteſt Præpoſitus Generalis etiam Profeſsos, quos judicaverit, à Societate emittere;

cere; ipſique de ipſius licentia non tantùm ad Carthuſienſium, ſed ad quemvis alium Mendicantium, vel non Mendicantium, paris, laxioris, arctioris, obſervantiæ Ordinem, per ipſum Præpoſitum Generalem illis præſcribendum (de conſenſu tamen Superiorum loci illius, quò deſtinabuntur) demigrare; in eiſque Profeſſionem per illius Monachos, alióſve Regulares emitti ſolitam, emittere, habitúmque ſuſcipere, eorúmque conſveta uti diſciplinâ. Ipſíſque inhibetur, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, nè quid contra præſentium tenorem audeant attentare. Gregorius XIII, pag. 71, ubi & prohibet hujus gratiæ communicationem, etiam his, qui ſua Privilegia cum Societate participant, & participare poterunt.

An hodie poſt Concilium Tridentinum ſit licitum differre Profeſſionem finito Novitiatu, ut ante Concilium licebat, vide ſuprà verbo *Concilium Tridentinum*. Vide etiam quod habetur ſuprà verbo *Apoſtata*, §. 10.

PROVINCIALES.

Pro-

Provincialis electio in locum demortui.

MOrtuo Provinciali in partibus longinquis ac remotiſſimis, poteſt alius ejus loco eligi, dũ alius per Generalem Præpoſitum mittitur. Paulus III. pag. 14.

Non utantur Noſtri hoc privilegio: ſed ubi opus erit, ſequantur, etiam extra Europam, quod IV. Congregatio generalis præſcripſit Can. 22.

Vide verbo *Indulgentia.* §. 10. & verbo *Notarius.*

QUARTA.

Vide verbo *Exemtio.* §. 5.

RELIGIOSUS.

MOtu proprio, certáque ſcientiâ, ac de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, declarando ſtatuit ac decernit Gregorius XIII. non ſolum eos, qui in Coadjutorum formatorum, ſive Spiritualium ſive Temporalium, Societatis gradus & miniſteria admittuntur, ſed & alios omnes, qui in ea bien-

biennio Probationis peracto tria, Caſtitatis, Paupertatis, & Obedientiæ, vota publica, licèt ſimplicia, emiſerint, emitténtve in futurum; verè, & propriè Religioſos fuiſſe, & eſſe, & ubique ſemper ab omnibus cenſeri & nominari debere, non ſecùs atque ipſos tum Societatis, tum quorumvis aliorum Regularium Ordinum Poſeſſos. pag. 66. adjunctâ novâ ejuſdem Pontificis confirmatione pag. 77. & ſeq.

Vide verbo *Vota.*

RELIQUIÆ.

Facultas Reliquias mittendi ex Vrbe.

Poſſunt Noſtri mittere Reliquias extra Urbem pro conſecratione altarium. Conceſſum eſt Minoribus, vivæ vocis oraculo, ab Alexandro. VI. ùt inter ejus Oracula in Bullar. Regul. §. 4. Ceterùm vivæ vocis oraculo conceſſit Pius V. ut quas reliquias ab amicis habere poſſumus, abſolutè extra Urbem fas eſſet mittere. Habetur in vivæ voc. orac. pag. 46.

Nemo hac facultate utatur ſinè ſpeciali licentia Præpoſiti Generalis.

RE-

RESERVATIO.

Vide verbo *Caſus reſervati.*

RESTITUTIO.

Quomodo à Noſtris aliena reſtituenda.

SI ii, qui Societatem ingrediuntur, diverſis perſonis, quæ ſciri & inveniri non poſſunt, aliqua bona reſtituere tenentur; poſſunt omnes Præpoſiti ac Rectores, in locis ſibi commiſſis, bona ipſa in pios uſus convertere, prout ſecundùm Deum viderint expedire. Conceſſum eſt Minoribus à Clem. IV. per Litteras, quas Sixtus IV. confirmavit per Bullam, datam prid. Kal. Sept. 1474. Incipit: *Regimini*: eſt 14. in Bull. Regul. §. 30. & Prædicatoribus idem Sixtus ſimili planè Bullà, ùt in Privilegiis Ordinis, Romæ impreſſis. 1555. fol. 153. pag. 2. & pro Congr. Lateranenſi idem Pontifex Bullâ, datâ 10. Kal. Sept. 1476. Incipit: *Dum ad univerſos*: eſt 10. in Bull. comm. §. 30. & Jul. II. pro Canonicis Regularibus S. Salvatoris, Bullâ, 4. Nonas April. 1512. Incipit; *Inter cæteros*: eſt 30. ibid. §. 20.

In rebus parvi momenti, hoc eſt, uſque ad ſummam viginti ducatorum, ſit facultas Superi-

perioribus localibus: applicandi extra Societatem: Provincialibus verò, extra Societatem ſit libera facultas quamcumque ſummam applicandi; intrà Societatem verò uſque ad ducentos ducatos tantùm.

Utrùm in læſionibus neceſſaria ſit reſtitutio in integrum, vide quæ habentur ſuprà verbo *Privilegia.* §. 9.

SACRA.

§. 1.

Facultas pro laicis, tangendi calices, &c.

NOſtri, qui inſerviunt Eccleſiis Societatis in Sacriſtæ officio, etſi ſacros Ordines non habeant, ſi modò primam habeant tonſuram, poſſunt tangere calices, & corporalia. Conceſſit Major Pœnitentiarius, eâ tunc facultate pollens, P. Joanni Polanco: ùt conſtat ex Libro M. S. V. V. O. fol. 12 & 20. Per privilegia tamen Minorum, omnes laici poſsunt tangere Eccleſiaſtica paramenta, calices, & corporalia, debita cum reverentia, ac eadem corporalia lavare, cùm expedierit. Ex cōceſſione partim Calixti III. Orac. non authenticato, ùt in Bull. Reg. inter ejus Orac. n. 3. par.

partim Sixti V. ſimili oraculo. ibid. inter ejus Orac. n. 46.

Hac facultate uti poterunt ii, quibus Superior commiſerit.

§. 2.

Uſus profanorum in paramenta.

Veſtes & pannos profanos in paramenta, & alios Eccleſiaſticos uſus, ſecurâ conſcientiâ convertere poſſamus. Conceſſit Sixtus IV. Minoribus, vivæ voc. orac. non authenticato: ùt ex eorum Comp. V. *Ornamenta Eccleſiaſtica.* §. 6.

SACRAMENTA.

Facultas miniſtrandi Sacramenta.

POſsunt Noſtri Chriſti fidelibus Euchariſtiam & alia Sacramenta, ſinè alicujus præjudicio, miniſtrare, Diœceſanorum locorum, Rectorum, Parochialium, & aliarum Eccleſiarum, aut quorumvis aliorum licentiâ minimè requiſita. Paulus III. pag. 7.

Facultas quidem adminiſtrandi Euchariſtiam omnibus Sacerdotibus conceditur, juxta id, quod dictum eſt verbo Euchariſtia. §. 2.

De

De Pœnitentiæ autem Sacramento jam dictū eſt verbo Abſolutio, *& verbo* Confeſſarius.

Vide verbo *Euchariſtia.* §. 2.& 3.& verbo *Abſolutio.* §. 1.

De extrema Unctione quoad familiares, vide verbo Extrema Unctio, *& verbo* Familiares: *quæ quoad reliquos poterit etiam, in neceſſitate tamen, & ſinè præjudicio, adminiſtrari. Baptiſmus autē in neceſſitate omnibus; quod jus commune habet. Matrimonium verò nulli, niſi in Provinciis illis, in quibus neceſſitatis causâ id à Generali Præpoſito permiſſum fuerit.*

SCHOLÆ.

§. I.

Facultas docendi, etiam in locis Univerſitatum.

PRæceptores Societatis, tam qui litteras humaniores, quā qui liberales artes, ac Theologiam docent, etiam in locis ubi ſunt Univerſitates, lectiones ſuas publicè legere in Noſtris Collegiis poſſunt, dummodo per duas horas manè, & per unam horam poſt meridiem cum lectionibus Univerſitatum non concurrant. Pius

V.

V pag. 35. Quin verò ſatìs erit, per unam horam de manè, & alteram de ſero non concurrere cum Univerſitatum Lectoribus, qui id poſtulaverint. Gregorius XIII. pag. 61.

Provinciales hac facultate uti poterunt: cum Univerſitatibus tamen prudenter agant.

§. 2.

Facultas audiendi.

Omnes Scholaſtici hujuſmodi lectiones audire poſſunt, & alias Scholaſticas exercitationes in Noſtris Collegiis frequentare. Pius V. pag. 35.

§. 3.

Noſtri promoveri poterunt ad gradus.

Quicumque Scholaſtici in Noſtris Collegiis Philoſophiæ aut Theologiæ auditores fuerint, in quavis Univerſitate ad gradus admitti poſſunt: & Curſuum, quos in prædictis Collegiis confecerint, ratio habeatur; ità, ut ſi in examine ſufficientes inventi fuerint, non minùs, ſed pariformiter, ac ſi in Univerſitatibus ipſis ſtuduiſſent, ad gradus quoſcumque admitti poſſint, & debeant. Idem p. 35.

§. 4.

Excommunicantur moleſtare audentes, &c.

Diſtrictiùs inhibetur Rectoribus Univer-

ſita-

ſitatum, & aliis quibuſcumque, ſub excommunicationis infligendæ pœna, nè Collegiorum Noſtrorum Rectores, aut Scholares in præmiſſis per Pium V. conceſſis, quovis quæſito colore moleſtare audeant. Ibidē.

SCHOLASTICI.

Vide, quæ dicuntur præcedenti verbo *Scholæ.* & verbo *Gradus.*

SCRUPULI.

§. I.

Poteſtas in rebus dubiis ad ſcrupulos tollendos.

PRæpoſitus Generalis, ac Provinciales, adhibito, ſi res magni momenti fuerint, aliquorum Patrum conſilio, in rebus dubiis & ſcrupulis conſcientias ſubditorum tangentibus, auctoritate Apoſtolicâ determinare poſſunt in foro conſcicentiæ, ac eorum determinationi ſubdit ſecurâ conſcientiâ poſſint ac debeant ſtare Conceſſit Leo x. Minoribus, per ſignatu ram: ùt in Bull. Regul. inter ejus Oracu la, n. 14.

Ut hoc auctoritate Apoſtolicâ poſſint facere, faci

conceditur Provincialibus: quod tamen rarò facient; & cùm fecerint, Generalem admoneant.

§. 2.

Noſtri in ſcrupulis acquieſcere poterunt Superioribus.

Omnes Noſtri, qui ſunt nimis ſcrupuloſi, poſsunt in omnibus dubiis, ſuam conſcientiam tangentibus, ſecurâ conſcientiâ ſtare determinationi ſui Præpoſiti, vel Rectoris. Conceſſit Leo x. Oraculo non authenticato: ùt in Bull. Regul. inter ejus Orac. n. 61. Sed ſinè reſtrictione ad nimis ſcrupuloſos, conceſſum fuiſſe per Bullam ab Eugenio IV. Congr. S. Georgii in Alga, refertur in Lib. Privil. S. Jo. Evangel. fol. 4. pag. 2. his verbis: Ceterùm pro ſerenandis cujuslibet conſcientiis, volumus, ut quoties alicui, ſeu aliquibus, ſi dubitationis aut ſcrupuli aliquid emerſerit, ordinationi, ſeu diſpoſitioni Rectoris, ſeu Prioris, vel Præpoſiti, qui pro tempore fuerit in Eccleſiis, vel locis hujuſmodi, ſtare, & ſecundùm ipſius declarationem, & voluntatem vos conformare debeatis.

SEDE VACANTE.

Facultates ab Epiſcopis conceſſæ durant Sede vacante.

LIcentiâ Nobis conceſsâ à Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, audiendi Confeſſiones ſubditorum ſuorum, prædicandi, & aliqua vota in alia pietatis opera commutandi in ſuis civitatibus, & diœceſibus, ipſis mortuis, uti poſſumus, donec viduatis Eccleſiis proviſum fuerit de Paſtore. Conceſſum eſt Dominicanis, à Clem. IV. per Bullam, dat. 17. Jul. A. 1. Inc. *Exigentibus:* eſt 4. hujus Pontif. in Bull. Regul.

Advertatur, quòd etſi in hac gratia aliud videatur innui, tamen dicta facultas non exſpirat etiam donec per Succeſſorem revocetur.

SENEX.

Vide quæ habentur verbo *Infirmi.* §. 2. & verbo *Indulgentiæ.* §. 6.

SEPULTURÆ.

Interdicitur omnibus jus ſepeliendi in Noſtra Eccleſia.

Inhi-

INhibitum eſt omnibus Religioſis, & aliis ſecularibus, nè aliquorum defunctorum corpora in Noſtris cœmeteriis ſepelire, aut in Eccleſiis Noſtris Miſſarum ſolemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca Noſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare ſinè Noſtro aſſenſu præſumant. Conceſſum eſt Minimis, à Jul. II. per Bullam, dat. Kal. Aug. 1506. Incipit: *Virtute conſpicuos*; eſt 26. in Bull. Regul. §. 24. Poſſumus autem liberè in Eccleſiis & cœmeteriis Noſtris omnes, qui in eis ſe ſepeliri deliberaverint (exceptis excommunicatis, interdictis, ac publicè uſurariis) ſalvâ tamen juſtitiâ illarum Eccleſiarum, à quibus mortuorum corpora aſſumentur, ſepelire: ùt eiſdem Minimis conceſſum eſt, in eadem Bulla §. 23. & Camaldulenſibus ab Alex. IV. per Bull. dat. 10. Kal. Aug. 1258. Incipit: *Officii Noſtri*: eſt 11. in Bull. comm. §. 16. & à Cæleſtino V. Cæleſtinis per Bull. dat Kal. Oct. A. 1. Incipit: *Etſi cunctos*; ùt in Bull. com. §. 22. Similes conceſſiones Bullatæ habentur ibid. Greg. XI. Bullâ 7. §. 24. pro Dominicanis: Sixti IV. Bullâ 10. §. 20. pro Congr. Lateran. & 7. §. 57. pro Carmelitis: & Julii II. 12. § 35. pro Olivetanis.

Hæc facultas, quod attinet ad inhibendum, omnibus Superioribus communicatur: quoad ſepeliendum autem Præpoſito Generali reſervatur, juxta Inſtitutum.

Vide verbo *Eccleſia.* §. 3. & verbo *Familiares.* §. 1. & verbo *Interdictum.* §. 4. & 5.

SIMONIA.

Diſpenſatio in conventionibus circa Beneficia, &c.

IN unionibus, annexionibus, incorporationibus, & reformationibus, ſeu receptionibus Monaſteriorum, Prioratuum, vel aliorum Beneficiorum Eccleſiaſticorum, pro Noſtra Societate faciendis, poſſunt omnes Præpoſiti ac Rectores, cum Prælatis, & perſonis, quæ monaſteria, ſeu beneficia hujuſmodi obtinent, volúntque dimittere in commodū Societatis, vel alicujus Domûs, ſeu Collegii ejuſdem Societatis, inire conventiones, & pacta, quæ illicita, & quando Apoſtolicâ confirmatione carerent, expreſsè prohibita cenſerentur. Conceſſit Julius II. Olivetanis per Bullam, datam prid. Non. Jun. 1507. Incipit:

cipit: *Etſi ad univerſos*: eſt 12. in Bull. comm. §. 36. & Canonicis S. Salvatoris per Bullam dat. 4. Non. April. 1512. Incipit: *Inter cæteros*: eſt 30. ibid. §. 45. & Leo x. Camaldul. per Bullam, dat 4. Non. Jul. 1513. Incipit: *Etſi à ſummo*: eſt 2. ibid. §. 4.

Hac facultate nullus utatur: & ſi quid de præſenti occurrat, conſulatur Generalis.

SOCIETAS JESU.

§. 1.

Declaratur Societas mendicans.

SOcietas, ejúſque perſonæ, mendicantes eſſe declarantur à Pio V. pag. 37. & omnes qui tria vota elapſo Novitiatus biennio, in Societate emittunt, eſſe verè Religioſos, habetur in declaratione Gregorii XIII. de qua latiùs ſuprà verbo *Religioſus*.

§. 2.

Impedientes vel moleſtantes ingreſſuros

Noſtram Societatem, ſi habitâ notitiâ Privilegii non deſiſtant, ipſo facto excommunicantur,

Juxta Privilegium Eugen. IV. conceſſum per Bullam Benedictinis, & Leonis x. Camaldulenſibus, prohibitum eſt, nè quis, cujuſcumque ſtatûs, & conditionis, audeat venientem de ſeculo ad Religionem in Noſtra Societate, impedire, vel alienare, vel moleſtare, ſub pœna excommunicationis, à qua, non niſì in articulo mortis, ab alio, quàm per Sedem Apoſtolicam valeat abſolvi: dum tamen, cùm ſtatutum eis ad notitiam deductum fuerit, à prædictis non deſtiterint. Bulla Eugenii eſt data 7. Kal. Mar. 1435. Inc. *Etſi ex debito:* & eſt 7. in Bull. Regul. §. 14. 15. Bulla Leonis eſt data 4. Non. Iul. 1513. Inc. *Etſi à ſummo:* eſt 2. in Bull. comm. §. 22. Itèm per Privilegium, contentum in Bullis, proximè citatis: & Julii II. pro Congr. S. Salvatoris: qui ſupradictis, vel eos recipientibus occaſione prædictâ, injuriam vel moleſtiam irrogare præſumſerint, ſi hujus privilegii notitiam habuerint, vel qui illud ignoraverint, poſtquam ad illius notitiam pervenerint, ſi à præmiſſis injuriis & violentiis non deſtiterint, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, à qua, præterquam in mortis ar-

tis ar-

tis articulo conſtituti, niſi à Sede Apoſtolica abſolutionis beneficium nequeant obtinere. Bulla Julii eſt data 4. Non. April. 1512. Incipit: *Inter cæteros*: & eſt 30. in Bull. comm. §. 18.

Facultas hæc notificandi communicatur Superioribus. De facultate autem declarandi, vide verbo Apoſtatæ.

Vide verbo *Commutatio.* §. 2. & 3. & verbo *Exemtio.* & verbo *Communicatio gratiarum.* Itèm & verbo *Alienatio.* §. 2. & alibi ſæpe in hoc Compendio, ſed præcipuè in dictis locis.

§. 3.

Poteſtas dimittendi.

Poteſtatem dimittendi, tamquam rem magni momenti ad Societatis conſervationem, eſſe omnino retinendam. Gregorius XIV. Conſtit. pag. 98.

SODALITAS.

§. 1.

Indulgentia plenaria.

PRimariia Congregatio auctoritate Apoſtolicâ erigitur, & inſtituitur, cum Indulgentia plenaria pro Sodalibus in

ingreſſu, & mortis articulo. Gregorius XIII. in litteris pag. 84. Plenaria pro omnibus in die Annuntiationis, & quinquies in anno pro Sodalibus. Itèm Indulgentia toties quoties pro Sodalibus, qui corpora Defunctorum aſſociaverint; & ſimiles. Idem ibid.

§. 2.

Poſſunt Sodales ubique conſequi.

Sodales ubivis locorum poſſunt conſequi prædictas Indulgentias. Idem pag. 85. Itèm Indulgentias ſtationum Urbis, viſitantes Eccleſiam Societatis, ubi adſit, vel aliã quamcumque. Idem ibid.

§. 3.

Generalis poteſt erigere, &c. Congreg.

Præpoſito Generali, ſeu Vicario pro tempore exiſtenti, facultas conceditur, quaſcumque alias Congregationes, in Collegiis extra Urbem erigendi & aggregandi. Idem pag. 85. Aggregatis quævis Primariæ indulta & Indulgentias concedendi. Idem ibidem. Itèm facultas Congregationes viſitandi, ſtatuta condendi, examinandi, & approbandi. Idem pag. 86.

§. 4.

Extenditur prædicta facultas.

Præcedentis facultatis extenſio ad plures

res, etiam non Scholarium, Congregationes, in quibuſvis Societatis locis erigendi, aggregandi, & aggregatis Primariæ, & aliarum Congregationum Indulgentias communicandi & concedendi. Sixtus v. in Bulla extenſionis pag. 88. & ſeq.

§. 5.

Extenditur ad Reſidentias.

Extenditur facultas, quaſcumque alias ſimiles Congregationes erectas, & in poſterum erigendas inſtituendi, & aggregandi Primariæ Collegii Romani: illiſque Indulgentias, & gratias ſpirituales, per quoſcumque Romanos Pontifices conceſſas, communicandi, ad quaſcumque Reſidentias Societatis. Conceſſit Clemens VIII. anno 1602. pag. 104. & Greg. XV. A. 1621. ut in M. S. p. 349.

§. 6.

Etiam ad domos ſub gubernio noſtro.

Extenditur prædicta inſtituendi, & aggregandi facultas ad ſingula Collegia, Domos, ſeu Seminaria, vel loca, ſub directione, gubernio, adminiſtratione, vel inſtitutione Societatis exiſtentia, vel ab ea dependentia. Sixtus v. p. 90.

§. 7.

Nec obſtat Conſtitutio Clem: VIII.

Conſtitutio Clem. VIII. ſuper modo, & forma Confraternitates erigendi, & aggregandi edita, minimè afficit Noſtras Congregationes, quarum Indulta omnia iterum confirmata ſunt. Greg. XV. in Bull. Societ. M. S. p. 347.

SUBSIDIA.

Vide verbo *Exemtio.*

TITULUS.

Defectus in titulis, & unionibus Beneficiorum ad annum 1570. ſupplentur.

PEr gratiam conceſsam Prædicatoribus, omnes tituli à Sede Apoſtolica, vel illius Legatis, bonorum temporalium, ac uniones Beneficiorum Societatis uſque ad diem XVIII. Januarii anno Domini 1570. conceſſi, confirmantur, & de novo conceduntur: defectus, quicumque illi ſint, ſupplentur: abſolutio à fructibus malè perceptis, & à cenſuris propterea incurſis, in utroque foro conceditur, & in irregularitate diſpenſatur. Tenentur tamen Noſtri adimplere pœnitentias, quas Confeſſores,

res, quos ipſi ad id elegerint, propter præmiſſa injunxerint. Pius V. ùt in privilegiis impreſſis. fol. 185. & ſeq. Conceſſum eſt etiam Societati à Greg. XIII. V. V. O. quod jam pridem ſortitum eſt ſuum effectum.

De electione Confeſſarii ſervetur Regula & Privilegium Societatis, de quo verbo Abſolutio. §. 11. *&* *verbo* Gratiarum uſus. §. 2. *Quod attinet ad uniones, præcedens privilegium revocatum fuit per* Gregorium XIII. *ùt in ejus Bulla ſub data Kalend. Martii annò* 1572. *quæ incipit:* In tanta.

TRANSLATIO
ad alium Ordinem.

Vide quæ habentur verbo *Apoſtatæ.* §. 10. & 11. & verbo *Profeſſi.* §. 2.

VISITATORES.

Indulg. plen. pro Noſtris in viſitatione.

POſſunt Viſitatores Noſtræ Societatis in ſingulis Collegiis & Societatis locis, abſolutâ viſitatione concedere Noſtris benedictionem, & Indulgentiam

plenariam, & hoc in perpetuum. Vivæ vocis oraculo, conceſſit Gregorius XIII. ùt in vivæ vocis orac. pag. 126. in fine. Vide & V. *Indulgentiæ*. §. 10.

UNIONES.

Revocationes unionum, &c.

UNionibus Monaſteriorum, Eccleſiarum, Prioratuum, aut aliorum beneficiorum Eccleſiaſticorum factis Societati, vel faciendis per Sedem Apoſtolicam, nullum præjudicium fit per quaſcumque revocationes & annullationes unionũ, per Leonem X. ejúſque Succeſſores factas, niſi in eis litteræ unionum de verbo ad verbum inſererentur, & fieret individua & ſpecifica mentio de ipſis Monaſteriis, & locis, & Societate. Conceſſit Leo X. Camaldulen. per Bullam, dat. 4. Non. Jul. 1513. Inc. *Etſi à ſummo*: eſt 2. in Bull. comm. §. 46. & Eug. IV. Benedictinis per Bullam, dat. prid. Kal. Jul. 1436. Inc. *Ad Monaſterium*: eſt 14. in Bull. Regul.

Poteſt nihilominùs Epiſcopus examinare uniones, an ſint ſubreptitiæ, juxta diſpoſitionem Concilii Trident. ſeſs. 7. c. 6. de Reform. & ſeſs. 24. c. 13. Verſ. In unionibus.

Vide verbo *Simonia*.

VOTA.

§. 1.

Tria vota ſimplicia, ex Apoſtolica inſtitutione, & declaratione, verè ſubſtantialia eſſe.

TRria Paupertatis, Caſtitatis, & & Obedientiæ vota, poſt biennium Probationis in Societate emiſſa, etſi ſimplicia, ex Apoſtolica inſtitutione & declaratione, verè ſubſtantialia Religionis vota eſse, & in illis non niſi per Sedem Apoſtolicam diſpenſari poſſe, nullóque alio modo, quàm per legitimam à Societate dimiſſionem eâ ceſsare, habetur in Conſtit. Gregorii XIII. pag. 77. & ſeq.

§. 2.

Non claudicat contractus, &c. in votis ſimplicibus.

In ſimplicibus Societatis votis, nec contractus vitioſè claudicat, nec injuſtitia ulla intercedit. Gregorius XIV. in ſua Conſtit. pag. 97.

§. 3.

In votis ſimplicibus Profeſſorū ſolus Papa poſt diſpe ſare.

Vota ſimplicia Profeſſorum, de non relaxandis Conſtitutionibus in materia pau-

pertatis, & non ambiendi extra Societ. ſunt diſpenſabilia à ſolo Papa. Paulus v. per Bullam dat. 31. Jan. 1618. Incipit: *ex incumbenti*; quam retulit, & confirmavit Urb. VIII. per Bull. dat. 25. Jan. 1631. Incipit: *Vota quæ Deo fiunt.* eſt 160. in Bull. communi. p. 113.

§. 4.

Obligant etiam poſt dimiſſionem.

Votum ſupradictum, non ambiendi, non ceſſat obligare, per quamcumque dimiſſionem à Societate. Urb. VIII. per Bullam dat. 21. Maji 1635. Incipit: *Cùm ſicut accepimus, &c.* eſt 196. in Bull. comm.

De votorum commutatione, vide verbo *Commutatio*; & de eorum diſpenſatione, vide quæ dicuntur verbo *Diſpenſatio.* §. 10.

Vota Societatis, vide verbo *Religioſus.* §. 1. Et quoad irritationem Matrimonii, vide verbo *Apoſtatæ.*

IN-

INDEX. TITULORUM.

A.

ABſolutio. paginâ 1.
Ædificia. 14.
Alienatio. 17.
Altare. 22.
Apoſtatæ. 23.
Appellatio. 32.

B.

BEnedicere. 34.
Benefactores. 37.
Bona Societatis. ibid.
Bulla Cœnæ. 43.
Bulla Cruciatæ. 45.

C.

Calix

CAlix. 45.
Canonica portio. ibid.
Caſus reſervati. ibid.
Cauſa. ibid.
Cenſura. 46.
Cenſus. ibid.
Ceſſatio à divinis. ibid.
Collectæ. ibid.
Collegia. 47.
Communicatio gratiarum. ibid.
Commutatio. 53.
Concilium Tridentinum. 56.
Confeſſarius. 59.
Confeſſionale. 63.
Confirmatio. 64.
Congregationes Externorum. ibid.
Congregationes Societatis. ibid.
Conſervator. 65.
Conſtitutiones. 70.
Contractus. 72.
Corporalia. 73.

Cor-

Correctio. ibid.

D.

Decimæ. 77.
Declaratio. ibid.
Dignitas. ibid.
Diſpenſatio. 78.
Domus. 86.
Donationes. 87.
Dubia. ibid.

E.

Eccleſia. ibid.
Eleemoſyna. 90.
Emphyteuſis. 91.
Euchariſtia. ibid.
Excomunicatio. 94.
Exemtio. 96.
Exercitia Spiritualia. 108.
Extrema unctio. ibid.

F.

Familiares. 109.
Feſtivitas. 112.

Feudalia bona. 114.
Fundatores. ibid.

G.

GEneralis. 114.
Gradus. 120.
Gratiarum uſus. 124.

H.

HAbitus. 125.
Hæretici. 126.
Homicidium. 127.
Horæ Canonicæ. ibid.

I.

IEjunium. 130.
Immunitas. ibid.
Impetrare. 132.
Incarcerare. ibid.
Indulgentiæ. ibid.
Indulta. 157.
Infirmi. ibid.
Inquiſitores. 159.
Inſtitutum. ibid.
In-

Interdictum. 161.
Interpretatio. 166.
Irregularitas. 167.
Jubilæum. ibid.
Judex. ibid.
Juramentum. ibid.

L.

LAici. 168.
Lectores. ibid.
Legata. ibid.
Libri prohibiti. 169.
Licentia. 172.
Lites. ibid.

M.

MAtrimonium. 173.
Medici. ibid.
Miſſa. 174.
Miſſiones. 178.
Moniales. ibid.

N.

NOtarius. 178.
Novitii. 179.

O.

O.

Officia. 180.
Oracula. 181.
Oratoria. 182.
Ordines. 183.

P.

Paramenta. 185.
Prædicatores. ibid.
Prælati. 186.
Præſcriptio. 188.
Privilegia. 189.
Proceſſiones. 197.
Procurator. 198.
Profeſſi. 199.
Provinciales. 200.

Q.

Quarta. 201.

R.

Religioſus. 201.
Reliquiæ. 202.
Reſervatio. 203.

Re-

Reſtitutio. ibid.

S.

SAcra. 204.
Sacramenta. 205.
Scholæ. 206.
Scholaſtici. 208.
Scrupuli. ibid.
Sede vacante. 209.
Senex. 210.
Sepultura. ibid.
Simonia. 212.
Societas Jeſu. 213.
Sodalitas. 215.
Subſidia. 218.

T.

TItulus. 218.
Translatio ad alium Ordinem. 219.

V.

VIſitatores. 219.
Uniones. 220.
Vota. 221.

FINIS.

-☙ (❀) ❧-

Serius innotuerunt addenda & mutanda ſequentia.

PAginâ 41. poſt verba: 1. *Auguſti An.* 1451. addendum; licèt inveſtituras livellorum & feudorum, quas de jure tenemur recipere, non recipiamus, tamen propter hoc non fit devolutio ad Dominum, nec incurritur in commiſſum.

Pag: 83. poſt verba: *vel ſinè eo,* addendum: ſi commodè non poſſit haberi, ut noſtri familiares Domorum aut Collegiorum infirmi, ſeu debiles, poſſint comedere carnes & ova, ſeu alia ſanis interdicta in Quadrageſima, & alijs jejuniis Eccleſiaſticis ſinè licentia Diœceſani, vel quòd non teneantur jejunare in prædictis temporibus, etiam ſinè conſilio Medici.

Pag: 85. poſt verba: *in Bullario Regularium,* addatur admonitio ſequens.

Communicatur ijs, quibus & præcedens gratia fuit communicata, admonito pœnitente, ut ſi conjugi ſupervivat, votum ſervet.

§. 9.

Facultas diſpenſandi in votis etiam Epiſcopo reſervatis.

Per facultatem Benedictinis conceſſam à Martino V. poſſunt noſtri Confeſſores de-

deputati diſpenſare in votis, etiam Epiſcopo reſervatis. Habetur in manuſcript. fol. 39. p. 2. & in Compendiolo Benedictinorum Vallis Oleti pag: 45. & ſeq.

Paginâ 107, in fine addatur.

§. 15.

Immunitas Grangiarum.

Grangiæ etiam noſtræ habent immunitatem, nè in eis capi poſſit reus, ſicut in atrio Eccleſiæ, ùt colligitur ex Bulla Eugenii IV. pro Apoſtaſienſibus, cujus verba refert Emmanuel Rodericus tom: 2. quæſtion: Regul: q. 75. art: 2.

Paginâ 165. caſſanda eſt admonitio: *Pro uſu hujus &c.* & ſubſtituenda quæ habetur paginâ ſequenti: *Attendendū ſemper eſt,* &c. loco hujus verò addenda ſequens admonitio: *Quatenus hoc Privilegio frui noſtris liceat, ſtatuet P. Generalis.*

Vide verbo *Conſervator* §. 5. & verbo *Prælati* §. 2.

Paginâ 194. §. 7. poſt verba: *conceſſum eſt Dominicanis*, addenda ſequentia: à Leone X. per Bullam, datam 21. Junij 1518. Incipit: *Cùm inter cæteros*: eſt 33. in Bullario Regul: Reliqua verò iſtic poſita, ſpectant ad §. 8. poſt verba: *Conceſſit Eugenius IV. Dominicanis per Bullam, ùt in Compendio Minorum*, uſque ad verba: *ſublatum eſt.* & quæ poſita ſunt §. 8. incipiendo à verbis: *ùt in eorum privilegiis*, uſque ad finem omittenda.

I/10 Bg. 1T. Sch.
3657/59 DM 2.30 Or


TIFFEN Gray Scale
© The Tiffen Company, 2007
R G B W G K C Y M
A 1 2 3 4 5 6 M 8 9 10 11 12 13 14 15 B 17 18 19

Inches
Centimetres
TIFFEN Color Control Patches
© The Tiffen Company, 2007
Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black